

Philip B. Mason.

TIROCINIUM BOTANICUM EDINBURGENSE.

CONSCRIPTUM A

CAROLO ALSTON.



EDINBURGI:

Typis W. SANDS, A. MURRAY, & J. COCHRAN.

Veneunt autem apud G. HAMILTON & J. BALFOUR.

MDCCLIII.

C O N T I N E T,

I. *Dissertationem de Re Herbaria.*

II. *Clarissimi Linnæi Fundamenta Botanica.*

III. *Indicem Plantarum, medicinalium præcipue, quæ studiosis demonstrantur.*

MEDICINÆ STUDIOSIS

C. A.

DUodecim plus minus elapsi sunt anni, ex quibus, tumultuarie nimis, evulgavi Indicem Plantarum, quæ vulgo officinales audiunt, interposita specie una vel altera quorundam generum quæ adhuc extra usum medicum sunt, ut specimen quasi vivum Cl. Tournefortii Institutionum, *ob vestros ponerem oculos; quo, levissimo quam fieri potest negotio, illam comparare possitis stirpium cognitionem, quæ ad Medicinam caste faciendam inprimis necessaria est.*

Huic Indici emendato, & parum aucto, jam præposui dissertationem brevem, in qua tractantur præcipua prælectionum argumenta, quas demonstrationi plantarum in horto præmittere soleo, ut veram dignamque Rei herbariæ ideam habeatis. Ac denique annexa sunt Celeberrimi Linnæi *Fundamenta Botanica, ut novissime edita sunt in auctoris Philosophia Botanica, sæpius in Dissertatione citata, ut melius judicium ferre valeatis, quo jure a præclarissimis hujus ævi Botanicis dissentire audeat in arte Tiro. Utcunque,*

" *Est prima semper Tirocinii medici exercitatio, in hoc*
" *studio ponenda; quum maxime id ingenio humano natu-*
" *rale, facillimum revera, atque conveniens prorsus sit a-*
" *nimo graviore cura libero. Publice quidem est concepta*
" *& confirmata vulgaris æstimatio, quasi sufficeret medico*
" *paucas didicisse fideliter, quæ salubri se commendant vir-*
" *tute, Plantas, stultamque quæri in cæteris speculandis,*
" *utpote inutilem, gloriam. Hanc tamen ego sententiam a*
" *vero procul abesse puto: contra vero credidi, debere qui-*
" *dem Medicinæ studiosos apprime doceri stirpes usu spectato*
" *celebratas, sed & simul, si datur facultas, alias omnes,*
" *licet magis perfunctorie, contemplari. &c.*" Vid. B. I. præf. p. 10. *Et valete.*

A D D E N D A.

In Diss. p. 19. *l.* 7. *post* deinceps, *add.* Vid. quæ habentur de tranquillitate aquarum in fundo maris, in Cl. *Boylei* oper. vol. 3. *p.* 112.

Diss. p. 4. *l. ult. post* dictæ, *add.* quæ.

Diss. p. 75. *l.* 17. *post* Aloïdes, *add.* Stratiotes.

Diss. p. 80. *l.* 10. *post* Nux, *add.* Juglans.

In Ind. p. 9. *post* Valerianella, *add. Ananas* aculeatus, fructu pyramidato, carne aurea, T. 653. Carduus Brasilianus, foliis Aloes, B. P. 384. Nana Brasiliensibus, Ananas Lusitanis, Marcg. Bras. 33. R. H. 1332. *Bromelia* foliis spinosis, fructibus coalitis caulem cingentibus, H. Cliff. 129. *The Pine Apple, or Ananas.*

Ind. p. 14. *l.* 15. *post* 230. *add.* T. 183.

Ind. p. 102. *post* Amygdalus, *add. Sapindus* foliis costæ alatæ innascentibus, T. 659. Nuculæ Saponariæ non edules, B. P. 511. Arbor Saponaria Americana, R. H. 1548. *Sapindus,* H. Cliff. 152. *The Soap-berry Tree.*

Ind. p. 103. *post* Oenoplia, *add. Myxa,* Dod. 806. B. I. 2. 246. Sebestena domestica, B. P. 446. Prunus Malabarica, fructu racemoso calyce excepto, R. H. 1563. *Cordia* foliis subovatis serratodentatis, H. Cliff. 63. *The Assyrian Plum, or Sebesten.*

E R R A T A.

In Diss.	*pag.*	*lin.*	
	35.	3.	*pro* alvo, *l.* albo.
	53.	5.	*pro* At, *l.* Et.
	58.	17.	*pro* Doxocopiæ, *l.* Doxoscopiæ.
	74.	34.	*pro* Coxium, *l.* Conium.
	78.	6.	*pro* Heiranthus, *l.* Helianthus.
In Ind.	3.	1.	*pro* 66. *l.* 67.
	ib.	13.	*pro* 22. *l.* 23.
	19.	28.	*pro* caule, *l.* acaule.
	33.	3.	*pro* 654. *l.* 855.
	83.	8.	*pro* 1. 174. *l.* 1. 2. 174.
	91.	18.	*pro* 1. 21. *l.* 1. 2. 21.
	ib.	31.	*pro* 1. 114. *l.* 1. 2. 114.
	99.	19.	*pro* 479. *l.* 477.

In Ind. Gen. p. 119. *l.* 12. *pro* 63. *l.* Vid. Addenda.



DISSERTATIO
DE
RE HERBARIA.

STirpium doctrinam a plerisque medicinæ studiosis negligi, a medicis quamplurimis contemni, atque a nonnullis quasi odio haberi, satis diu conquesti sunt artis professores. Et dolendum quidem est, quod et hodie, ob aucta immaniter plantarum nomina, precarios terminos, theorias, methodos, inanesque circa ea philologicas controversias, virorum doctrinâ vel ingenio præcellentium curâ indigna quasi videretur. Cum tamen

Res herbaria, sive Botanice, ea sit sapientiæ naturalis pars, quæ tractet de vegetabilium structura externa, interna, vegetatione, nutritione, fructificatione, usu, viribus, cultura, & similibus, quorum contemplatio, vel in venerationem & amorem summi opificis ducere, vel in commodum hominis cedere possit; æque ac de eorum nominibus, atque methodica distributione.

2. De hujus diffusæ admodum scientiæ partibus disserere, nec vires nec instituti ratio permittit. Quædam tamen de capitibus rerum, haud minus utilia quam jucunda, paucis tradere statuimus; ne, ut in sola nominum et vo-

cabulorum peritia consistens, tyronibus molesta omnino & sterilis videatur Botanice *.

§ I.

3. " In totum, ait *Theophrastus*, planta res varia est atque " multiplex, inque universum de ea referre difficile. In- " dicium vero quod nihil penitus est, quod commune " accipi possit, cunctis plantis conveniens, ut animalibus " os, venter. Neque enim radicem, neque caulem, ne- " que ramum, neque germen, neque folium, neque flo- " rem, neque fructum plantæ omnes habere viden- " tur" *(a)*. Hinc est quod vix accurata definitio cun- ctis & solis plantis conveniens, apud auctores occurrat.

4. " Planta, definiente *Jungio*, est corpus vivens non " sentiens, certo loco aut certæ sedi affixum, quod nu- " triri, augeri, se denique propagare potest". *(b)* " Est " corpus organicum, quod radicibus semper, seminibus " forte semper, foliis, floribus, & caulibus fere semper do- " natur;" secundum Cl. *Tournefortium (c)*. " Id omne " quod ex illo corpore cui adhæret, aut sibi circum- " ponitur, ait *Pontedera*, adveniente succo, in aliquam " certam & determinatam formam, vi aeris in tracheis " contenti, explicatur, ad plantam pertinere videtur" *(d)*. " Corpora naturalia, ut vult *Ludwigius*, eadem " semper forma prædita, sed loco-motivitate destituta, " vegetabilia dicuntur" *(e)*.

* " Res herbaria, quæ Botanice dici solet, in duas partes dividi- " tur; quarum prior de recta plantarum cognitione, altera in optimo " earum usu sita est. Plantas apprime nosse, aliud nihil videtur, " quam in promptu habere nomina quæ iis apte imposita sunt: nam " in hac arte delectus est quidem habendus eorum quæ conjuncta " sunt cum notione structuræ partium, a qua proficiscitur nota pro- " pria, seu character plantarum." T. *p*. 1.

" Botanice nil aliud est nisi methodus, cujus ope felicissime & mi- " nimo negotio plantæ cognoscuntur, & in memoria retinentur." B. Hist. pl. 16.

" Botanica est scientia vegetabilium, sive cognitio eorum quæ per " plantas & in plantis fiunt. Ludwig. Aphor. 1." L. Phil. Bot. *p*. 1.

(a) Hist. l. 1. c. 2.
(b) R. H. *p*. 1.
(c) Inst. *p*. 54.
(d) Dissert. 1. *p*. 5.
(e) Phil. Bot. *p*. 1.

Et

Et denique Ill. *Boerhaavio*, " Planta eſt corpus hygrau-
" licum, variis vaſis diverſos humores gerens, quod par-
" te quadam ſua externa, alteri corpori adhæret, unde
" per hanc partem haurit materiem nutrimenti & incre-
" menti ſui" *(a)*.

Quæ tamen definitiones nec omnia vegetabilia includere, nec animalia omnia excludere videntur; cum nonnulla horum alteri corpori ſemper affixa ſunt, illorum vero in aqua libere fluitant. Neque harum defectum ſupplebit Clar. *Linnæi* deſcriptio *(b)*, priuſquam quid per vitam intelligit, explicuerit aliter quam factum eſt in *Sponſ.* plantarum *(c)*, & omnia animalia ſentire probaverit.

5. An itaque confundenda magna naturæ regna? aut vegetabilia animalibus conjungenda? Nequaquam. In multis conveniunt, non vero in omnibus. Creſcunt quidem & nutriuntur omnia: ſed cum animalia materiem nutrimenti recipiant per poros, aut vaſa in eorum ſuperficie interna ſita; vegetabilia vero per poros aut vaſa in ſuperficie externa; hæc notabilis ſatis & eſſentialis eſt differentia. Deſcribi itaque poteſt vegetabile, quod ſit corpus organicum, quod per poros, aut vaſa in ſuperficie ſua externa poſita, haurit materiam nutrimenti ac incrementi ſui. Ac ideo ſatis apte *animal inverſum* dici poſſit.

§ II.

6. Duo ſunt magna vegetativi opera, ut loquitur magnus *Cæſalpinus (d)*, quæ ſunt quaſi functiones ejus naturales: quarum prima eſt, alimenti attractio, quo nutriuntur & creſcunt. Cujus gratia datæ ſunt radix & germen. Secunda autem functio aut vegetativi opus eſt, generare ſibi ſimile; & partes ejus gratia datæ ſunt fructus, & quæ ad fructificationem faciunt, *viz.* flores. Harum partium ſtructuram externam & internam curſim luſtremus; ac dein earum uſum in vegetatione ac fructificatione.

7. Radix eſt plantæ pars inferior, in terra ut plurimum abdita, alimento attrahendo deſtinata, quæ plerumque

(a) Chem. 1. *p.* 57.
(b) F. Bot. § 3.
(c) Amæn. Acad. *p.* 64.
(d) l. 1. c. 13.

ex cuticula, cortice, ligno, & medulla constat; ac fibrosa, tuberosa, vel bulbosa est.

At secundum Cl. *Raium (a)* radices dividi possunt in *fibrosas* & *crassiores*. *Fibrosas* vocat quæ plurimis filamentis tantum constant. *Crassiores*, vel *carnosæ* sunt, & *in latum extumescentes*, vel in *longum extensæ*. *Carnosæ latæ*, sunt vel *bulbosæ* vel *tuberosæ*. *Bulbosæ* sunt vel *tunicatæ*, ut Cepæ, vel *squamosæ*, ut Lilii. *Tuberosæ* aut carne continua constantes, sunt vel *simplici* tubere, ut Rapæ; vel *multiplici*, ut Pæoniæ. Radices *longæ*, sunt vel *sarmentosæ* & reptantes, ut Glycyrrhizæ; vel *cauliformes*, ut Onobrychidis.

8. *Truncus* insignior pars est, qua arbores, & pleræque herbarum attolluntur: hæc radicibus, quasi laciniato suo extremo, affixa terræ, reliquo solvitur in ramos, a quibus folia, flores, & tandem semina pendent. Variis insignitur nominibus. *Caudex* enim, *stipes* & *truncus*, dum in arboribus; *caulis* autem in herbis, speciatim vero in fistulosis *calamus* appellatur, *scapus* in leguminibus, & *culmus* in frumentis vocitatur *(b)*. Ex iisdem constat partibus quibus radix; estque vel simplex vel ramosus.

9. *Folia*, quorum copia luxuriasse videtur natura, sunt præcipuæ insignesque partes, quibus arbores & herbæ integrantur. Illa enim omnia quæ in trunco seu caule colliguntur, & quasi compendio coercentur, ulteriori productione in extremis & junioribus partibus soluta, in folia exeruntur, ut elongati & laciniati trunci *appendices* videantur, coctioni alimenti inservientes *(c)*. Folium aliud est *simplex*, aliud *compositum*. *Simplex* est vel planum, margine integro & æquali, aut inequali varie; vel *teres*. Folium *compositum*, est vel *triangulatum*, vel *digitatum*, vel *pennatum (d)*. De floribus, infra § x.

§ III.

10. Plantas constare præcipue ex tenuissimis fistulis & vesiculis, earumque contentis fluidis, dudum demonstra-

(a) Hist. *p.* 3.
(b) Malpig. *p.* 19.
(c) Malpig. *p.* 53.
(d) R. H. *p.* 13.

vit

vit *Malpighius*, & ille primus. Fiſtularum aliæ humores continent, aliæ aerem tantum, ac ideo ſemper vacuæ apparent : idem dicendum de veſiculis fere ; hac tamen cum differentia, quod medullæ veſiculæ tantum, elapſo primo anno, exſuccæ ſint. Harum partium, ex illuſtri illo auctore, brevis ſequitur idea, ut & uſus.

11. *Fibræ ligneæ*, quæ antiquitus *nervi*, *filamenta*, & *pectines* appellabantur, ſunt tubuloſa corpora, ſubingredientibus liquoribus pervia ; ipſarumque ſtructura quadratis, vel orbicularibus, conſtat corporibus concavis invicem hiantibus. Vaſa hæc nec recta nec parallela ducuntur ; ut plurimum enim in faſciculum coagmentantur ; horumque aliqua iterum inclinata & ſeparata, rete efficiunt *(a)*. Fibroſi hujuſmodi faſciculi multiplicibus fibris excitantur ; & quælibet fibra inſignis, fiſtulis invicem hiantibus conſtat, humoremque fundit : in progreſſu vero alteri unitur faſciculo ad latus inclinata ; modo recta ſurſum exporrigitur, mox obliquata, proximo conſociatur faſciculo, & ita fit rete. Potior ligni moles fibris iſtis ſeu fiſtulis, per longum ductis, excitatur, quæ orbiculis ſeu veſiculis invicem hiantibus, ſecundum longitudinem ſtatutis, conſtant *(b)*.

12. Inter enarratos fibroſos ſeu fiſtuloſos faſciculos locantur *ſpirales fiſtulæ*, numero tamen minores, licet mole majores, ita ut patenti ore in ſectis caudicibus hient. Variam ſituationem ſortiuntur ; major vero ipſarum portio diverſis ſub circulis, circa centrum varie locatis, ſeſe invicem continentibus, comprehenditur. Non unam perpetuo externam poſſident configurationem ; ut plurimum tamen oblonga fiſtularique conſtant forma, quæ identidem parum anguſtatur, ita ut tot invicem hiantes orbiculos præ ſe ferant : interdum tamen utriculi diverſis angulis pollentes continuatum canalem efformant ; quandoque ovales ſacculi lenes & lucidi, altero etiam fine impervii, quales in pulmonibus inſectorum obſervare eſt, deprehenduntur ; & frequenter plures veſicularum ſeſe invicem coanguſtantium ordines, eodem ligneo quaſi tubo contenti, ſpirales fiſtulas efficiunt.

Componuntur expoſitæ fiſtulæ zona tenui & pellucida,

(a) Malpig. *p.* 22. *(b)* Id. *p.* 2.

veluti

veluti argentei coloris lamina parum lata, quæ ſpiraliter locata, & extremis lateribus unita, tubum interius & exterius aliquantulum aſperum efficit. In plantis quibuſdam pulchrum occurrit ſpectaculum, dum ſenſim divulſa rami vel caulis (*folii etiam ac radicis, v. g. Vitis, Corni utriuſque, Scabioſæ, Scillæ*, &c.) adhuc vireſcentis continuitate, ſpiralis fiſtulæ ſeu tracheæ portiones laceratæ & ſolutæ remanent. Etenim motum hæ quaſi periſtalticum, per longum tempus interdum ſervant (*a*). Lamina hæc, ſi ulterius microſcopio luſtretur, particulis ſquamatim componitur, ut piſcium corium; quod etiam in tracheis inſectorum deprehenditur (*b*).

Fiſtulæ hæ, quas *ſpirales* a compoſitione placuit interdum vocitare, verius tamen *tracheas* ab officio; in ſingulis truncis, cauliculis, foliis, floribus, reliquiſque partibus quibus vegetantia integrantur, reperiuntur, & perpetuo patulæ. In lignea portione magis & minus copioſe luxuriant, talemque nanciſcuntur ſitum, ut perpetuo lignearum fibrarum faſciculo, veluti vagina, ambiantur, & in cauliculis quarundam plantarum, trachearum collectiones ligneis fibris ita ingenioſe aſſociantur, ut naturæ myſterium neceſſario ſubſit (*c*). In plantis & inſectis ſpiralem laminam natura fabrefecit, quæ ſquamoſis fruſtulis compacta, conſtrictionem & dilatationem, in vehementibus flexuris & curvationibus arborum, & in elaſtico concluſi aeris motu, pati poteſt. Taliter excitatæ plantarum tracheæ, non multum a recto declinantes, a radicibus ſurſum in truncum, caulem, & ramos diſperguntur; in foliis vero curvatæ, in rete implicantur (*d*). In cortice autem nullæ adhuc detectæ ſunt tracheæ; nec, quantum novi, in ſemine.

13. Intercepta retis fibroſarum fiſtularum ſpatia, replentur *utriculis*, ſeu *ſacculis* ſubrotundis; quin & totus fibrarum faſciculus hinc inde iiſdem ambitur, directionem horizontalem ut plurimum habentibus. Tranſverſales enim eorum ordines, a cortice emanantes, per ligneas fibras producti, interius in medullam exonerantur, unde eadem natura in utriſque reperitur. At varia eſt ipſorum

(*a*) Malpig. *p.* 3.
(*b*) Id. *p.* 26.
(*c*) Id. *p.* 31.
(*d*) Id. *p.* 32.

forma

forma & magnitudo; etenim ſeſe invicem urgentes, ubi copioſe ſtipantur, variam ſortiuntur configurationem, ovalem, oblongam, anguloſam, ut facilius invicem adaptentur; colorque ipſorum quoque varius eſt. Lævi excitantur pellucida diaphanaque membrana, ac invicem hiant *(a)*.

14. In herbarum arborumque compage, ultra tracheas & fiſtulas, *peculiare vaſculum* deprehendimus, terebinthina, gummi, quandoque concreto & proprio refertum ſucco & humore. Vaſorum hujuſmodi progreſſum, in plantis illis quibus ſuccus concreſcendo ſoliditatem acquirit, aut vario inficitur colore, mirari tantum licet. Claro tamen auctori videtur valde probabile, in ſingulis plantis peculiare vas adeſſe, ultimum & ſpecificum deferens alimentum. Ita ut quot plantarum ſpecies exſtant, totidem peculiares ſucci inveniantur *(b)*.

15. Hinc arbores nihil aliud ſunt quam fiſtulæ exiguæ diſparatæ per ſolum productæ, quæ ſenſim in faſciculos colliguntur; qui & ipſi ulterius aliis inſignioribus uniti, tandem omnes, ſub uno ut plurimum cylindro collecti, truncum efformant; qui oppoſita extremitate, facta iterum fiſtularum ſeparatione, brachia promit, & ſenſim ſubdiviſis manipulis, ex majoribus in minores, ultimo in folia extenſione facta, poſtremum ſortiuntur terminum. Extremæ igitur radices, una vel altera trachea conſtant, circa quam ludunt fiſtuloſi lignei plexus, reticulariter ita producti, ut interceptæ areæ anguli acutiores ſint; prout autem radix augetur, unitis aliis radiculis, ligneæ fibræ lucidæ, pilorum inſtar, trachearum intercapedines replent, & cortice craſſo mollique circumambiuntur *(c)*.

§ IV.

16. Cortex arborum, præter alimenti coctionem, peculiari muneri dicari videtur, auctioni ſcilicet & earum incremento; quod contingit novis ſingulo anno additis fibrarum involucris, quæ horizontalibus utriculorum ſerie-

(a) Malp. *p.* 2. 24. 30. *&c.* *(b)* Id. *p.* 34. *Vid.* Grevii A. pl. *p.* 114. *&* R. H. *p.* 6. *(c)* Malpig. *p.* 11.

bus

bus implicita, ſenſim ſoliditatem nanciſcentia, tandem veram ligni obtinent ſubſtantiam. In *libro* natura quoquo tempore, fibrarum ordines de novo excitat, vel ſaltem augmento manifeſtat, quas deferendæ alimoniæ, permittente mollitie, aſſueſcere cogit, & tandem firmatas, contiguis ligni partibus hærentes applicat; & ita fit novum, inducta ligni zona, trunci & ramorum augmentum.

17. Ex hoc colligere fas eſt, præcipuam arborum partem eſſe corticis portionem quæ ligno nectitur, cujus ope plantæ vitam perpetuant, & auctiores redduntur trunci, germinatio item & fœcunditas ſuccedunt. Hinc loco tutelæ, exterior corticis portio, quæ plurimum aeris injuria, & tranſpiratu tabefacta, exanimis & rigida redditur, *libro* additur, qui & interius etiam ſubjectum lignum non parum tutatur. Quare probabile eſt, plantas, quarum caules annotini ſunt, vel ſaltem per longum tempus non durant, nec lignea portione in cylindrum coagmentata gaudent, a natura cortice privari, ſolaque cuticula, vel exiguis fibrarum faſciculis donari; in reliquis vero, in quibus per longum tempus exigitur augmentum, in cortice, velut in prima ſtaminum delineatione, lignearum fibrarum ordines in *libro* parari, & deponi, ut ſtato tempore auctiores emergant *(a)*.

18. Ex *radicum* & *germinum* differentia, prima plantarum genera, aut ſumma conſtituenda eſſe apte ſatis & utiliter ſtatuit Cl. *Cæſalpinus (b)*, eaſque in *arbores* & *herbas* dividit; conſentientibus omnibus Botanicis, qui vel generalem plantarum hiſtoriam, vel methodum tradere aggreſſi ſunt, ante magnum *Carolum Linneum*; qui diviſionem hanc, utpote non naturalem, rejiciens, herbas cum arboribus ubique confundit.

" *Hybernacula** (ait) re ipſa ſunt *gemmæ*, quum cuſtodi-
" ant tenellam herbam ab aeris ſævitia per hyemem.
" Hinc eſt quod ſummus conditor gemmas pleriſque ar-
" boribus, regionibus frigidis naſcentibus, conceſſit: con-
" tra vero regionum calidarum arboribus gemmas ple-
" rumque denegavit. Gemmis deſtitutæ ſunt, *Citrus*,
" *Jatropha*, *Pereſkia*, *Aſclepias*, *Alaternus*, *Gerania*, *Lava-*

(a) Malpig. *p.* 23. *&* 24. *(b)* l. 1. c. 13.

" *tera*,

" *tera, Frangula, Ruta*, &c." *(a)*. An hæ omnes arbores proprie ſint dicendæ; aut quæ inoculatione propagari poſſunt, oculis (aut gemmis) deſtituantur, alii judicent. Addit vero, " Adeoque irrita eſt *Raii* & *Pontederæ* diviſio " plantarum in herbas & arbores, ex fundamento gemmarum, dum a duratione caulis eandem deſumere ab" ſonum fore intelligerent." At paululum aliter in Phil. Bot. *(b)*. " *Plantæ* enim, ait, dicuntur *herbaceæ*, quæ " quotannis ſupra radicem pereunt; *Frutices*, cum caudex adſcendit ſupra terram abſque gemmis; *Arbores*, " quando caudex adſcendit ſupra terram cum gemmis. " Gemmæ vel diſtinguunt frutices ab arbore, vel nulli " limites, cum magnitudo nihil facit. *Et*, Indicæ arbores maximæ frutices dicentur, quum in his raro gemma: adeoque hæc diviſio non eſt naturalis, cum intra " fruticem & arborem nullos limites poſuit natura, ſed " opinio vulgi." Admittere itaque videtur ut naturalem diviſionem plantarum in *herbas* & *arbores*. Quæ tamen, cum in diſpoſitione plantarum ſit ſummopere utilis, naturalis ſit necne parum refert. At inter frutices & arbores, ut a Cl. *Linnæo* deſcriptas, natura ipſa limites poſuiſſe in corticibus videtur ſatis notabiles. Arbores enim omnes, gemmiparæ vel non gemmiparæ, vero cortice, ac *libro*, præcipua earum parte, præditæ ſunt: plantæ igitur quarum caules non ſunt annotini, ſed per annos aliquot durant, ac non vero cortice, ſed cuticula tantum teguntur, frutices dici poſſunt, vel herbis annumerari.

§ V.

19. Subintrans jam per poros radicis, vel hiantia vaſorum ora, nutritius humor, ſurſum aſcendit, & pro parte ſaltem ſuſpenditur: ſed qua ratione tardum eſt dictu.

Singula portio, ait *Malpighius*, quæ invicem fibrarum fruſtula unit, cum parum interius emineat, valvulæ vices ſupplet, & ita minima quælibet guttula, veluti per funem, ſeu per gradus, ad ingens deducitur faſtigium. Hunc autem aſcenſum, non tantum fiſtularum aſperitas & *tenu-*

(a) Amæn. Acad. 2. *p*. 188. (b) *p*. 37.

 itas

itas juvant, ſed & ſucceſſiva aeris temperies, calida ſcilicet & frigida, ex diei noctiſque variis craſibus; ejuſque elaſticus motus, qui exteriora corticis involucra urgens, contentorum liquorum motum, ſuperiora verſus, promovere & juvare poteſt. Ex trachearum etiam dilatatione, intus turgente aere, neceſſario urgentur interceptæ ligneæ fibræ, & horizontales utriculorum appendices, & ita probabiliter fit contenti ſucci expreſſio in contiguas partes: remittente vero tumore, laxiores redditi utriculi & fiſtulæ ligneæ, facilius novum admittunt humorem. In hos igitur tranſverſales utriculos aſcendens humor, *chyli* inſtar, exoneratur; ibique longiorem paſſus moram, antiquiori ſucco intime commixtus & fermentatus, in naturam alimenti exaltatur. Valde enim probabile eſt, beneficio aeris plantas ſurſum erigi in germinatione, tales conſervari in augmento, & vitæ proceſſu, ſuccorum pariter aſcenſum & fermentationem facilitari; & alia plurima *(a)*. Quæ etiam forte plus humoribus, *&c.* ab atmoſphæra derivatis debentur, qam aeris elaſticitati. Nam,

20. Nec obſervata liquorum aſcenſio per fiſtulas tenues, ſpongias, *&c.* difficultatem tollit; nec foliorum attractio. Fiſtulæ enim ligneæ non ſunt conicæ, ſed cylindraceæ: & aſcenſui humoris debetur foliorum expanſio; lachrymantque *Acer* utrumque, *Betula*, *Carpinus*, *Juglans*, *Salix*, *Vitis*, autumno, hyeme, vel vere tantum, dum foliis viduantur arbores: imo in plantis aphyllis, ut Cereis erectis, ad ingentem aſcendit altitudinem ſuccus, & quidem copioſus. Sed hæc ſagacioribus mechanicis inveſtiganda relinquimus; ad quæſtionem majoris momenti, quæ hic occurrit, progredientes. Nam,

§ VI.

21. Cujuſnam ſit naturæ humor ille vel ſuccus, quo plantæ nutriuntur? An ſola aqua ſufficiat, necne? &, Quænam ſit cauſa fertilitatis terrarum variæ? inter eruditos non convenit.

Sexcentis plus minus annis ante Chriſtum natum, *Thales Mileſius*, unus e ſeptem *Græciæ* ſapientibus, cui ſex

(a) p. 22. 23. 33. 14.

reliquos

reliquos consensisse primos ferunt, aquam dixit esse initium rerum, & ex ea constare omnia; *Deum* autem eam esse mentem quæ ex aqua cuncta fingeret (*a*); quod ex primo forte *Moschis* libro hausit. Nec desunt qui aqua sola vegetabilia nutriri, experimentis monstrare nituntur. Inter quæ insigne est illud de salice *Helmontii*, a multis sæpius quam accuratius citatum. Verba ejus hæc sunt,

"Omnia vegetabilia immediate & materialiter ex so- "la *aquæ elemento* prodire hac mechanica didici. Cepi "enim vas terreum, in quo posui terræ in clibano are- "factæ libras ducentas, quam madefeci aqua pluvia, ibi- "que implantavi truncum salicis ponderantem libras "quinque. Ac tandem exacto quinquennio, arbor inde "prognata, pendebat centum sexaginta novem libras, & "circiter uncias tres. Vas autem terreum sola aqua "pluvia, vel distillata semper, ubi opus erat, maduit, "eratque amplum & terræ implantatum; & ne pulvis "obvolitans terræ commisceretur, lamina ferrea stanno "obducta, multoque foramine pervia, labrum vasis te- "gebat. Non computavi pondus foliorum, quaterno "autumno deciduorum. Tandem iterum siccavi terram "vasis, & repertæ sunt eædem libræ ducentæ, duabus "circiter unciis minus. Libræ ergo centum sexaginta "quatuor ligni, corticum, & radicum, ex sola aqua sur- "rexerant." Ita *Helmontius* (*b*).

Illustris etiam *Boyleus* semen peponis cujusdam Indici, in terra in clibano exsiccata seri curavit; quod spatio quinque mensium excrevit in plantam, libras quatuor, una quarta parte minus, pendentem; dum terram iterum siccatam nihil de pondere amisisse compertum est.

"Nec illo *Helmontii* ab aliis sæpius repetito (ait D. "*Geoffroy*) minoris sunt momenti Illustrissimi *Boylei* ex- "perimenta, longe accuratiora. Menthæ, Majoranæ, "Pulegii, Melissæ ramusculos, in ampullis aqua limpida "repletis disposuit, *& ramusculi trium drachmarum vel* "*semiunciæ pondere, ad uncias sex & amplius creverunt*; "qui postea distillati, non minorem principiorum copiam

(*a*) Cicer. Nat. Deor. l. 1. & Acad. Quest. l. 4.

(*b*) Com. pl. Elem. figm. § 30.

 "exhibuerunt,

" exhibuerint, quam rami plantarum terræ pingui insita-
" rum" *(a)*.

22. Notissimum etiam est agricolis, quantum ad fertilitatem soli conferat, id comminuere, in aggeres formare, aprico diu objicere, plantariis vivis sepire, *&c.* sine ullo lætamine: *Sæpe etiam steriles intendere profuit agros.* Cum sale ammoniaco, marino, nitro, calce viva, *&c.* experimenta varia fecimus, ut sciremus quid ad fertilitatem terrarum conferant; & breviter,

Deprehendimus (a) dictorum salium cujuslibet partem unam, solutam in aquæ communis partibus nonaginta plus, insitam mentham perimere: ammoniaci quidem unius noctis spatio; nitri post septimanam; salis marini vero multo serius, quoad partem submersam, parte supra aquam marcescente cum priore. (b) Terram exilem & macram, utpote arenosam valde, ac e fictilibus, in quibus frutices per annos aliquot crevissent, desumptam, & cribratam tantum, plantas æque bene alere, seminaque æque læte in ea provenire, ac in terra pinguissima, minusque insectis infestari. (c) Eandem terram macram, cum trigesima sexta parte calcis vivæ, per annum sicce servatæ, mixtam, deteriorem reddi, ac minus fertilem, una fere tertia parte. Planta enim in hac consita, 74 diebus, pendebat drach. vi. gr. l.; cum alia planta, ejusdem speciei & magnitudinis, in illa crescens, eodem temporis spatio, acquisiverat pondus drach. ix. gr. xxix. (d) Aquam calcis bulbos Hyacinthi et Tulipæ non corrumpere, etsi in illa per plures dies maceratos: at Hyacinthi Orientalis flore cæruleo radicem super hanc aquam in vitro positam, statim languescere; nec folia nec caulem ad solitam longitudinem pervenire, flores rubescere, nec ad plenum expandi; & fibras prius emissas cito consumi. Ac (e) frutices & herbas in fictilibus servatas, & per plures menses, hac aqua calcis madefactas, nec lætius nec languidius aliis provenire, quantum observare potuimus.

Ac ideo concludere coacti sumus, quod non facile attingi possit, cujusnam naturæ sit humor a terra percolatus, pro vegetatione felicius promovenda, si ab aqua diversus.

(a) Geoff. M. M. 1. *p.* 9. *Vid.* Boylei operum, vol. 1. *p.* 312. *&c.* & vol. 2. *p.* 498.

versus. Videtur enim fertilitas terrarum plus ἀφαιρέσει promoveri, quam προσθέσει; subtractione scilicet, vel remotione eorum quæ impediunt, qualia sunt nimia humiditas aut siccitas, soliditas aut levitas, durities, tenacitas, aciditas, & frigiditas, insecta, plantæ noxiæ, &c. quam additione eorum quæ deficiunt; aut quæ aqua & aer, calore adjuti, suppeditare non valent.

§ VII.

23. Prodiit haud ita pridem, "*Dissertatio*, qua quæ-" stionem physicam, *Quænam sit causa fertilitatis terra-" rum?* ab academica *Burdegalo-Francica* 1739 propo-" sitam, pertractavit, eaque præmium nummi aurei con-" stitutum, obtinuit *Johanes Adam Külbel*, M. D." (*a*). Sed hypothesibus inniti videtur, haud satis experimentis affirmatis. Nam in ea hæc habentur, "Cum vegetabi-" lium substantia, non solum partibus fluidis, sed etiam " solidis seu terreis constet, sequitur inde quod succus ve-" getabilium nutritius e partibus etiam terreis composi-" tus esse debeat, quas ipsi tellus e sinu suo suppeditat" (*b*). Sed has terreas partes ab aqua derivari posse, ipse infra agnoscit: ait enim (*c*), "Rem penitius pensitando, " invenietur, aquam omnino particulas solidas ad augen-" dam vegetabilium substantiam necessarias, e sinu suppe-" ditare suo."

24. Dein Thes. 10. "Cum terrea, *inquit*, succi nu-" tritii portio admodum subtilis, ac imprimis aqua solu-" bilis esse debeat, eamque tellus e sinu suo suppeditet, " sequitur exinde *peculiarem* illam *telluris dispositionem*, " qua ager unus altero fertilior esse solet, in eo consi-" stere, quod fertilior terræ illius subtilis ac aqua solu-" bilis copia majori abundet; sterilior vero ejusdem op-" pido parum, aut nihil plane contineat, nisi arte per " stercorationes ipsi subministretur." Ad hoc probandum experimentum tradit, cui innititur tota sua sententia, aut quæstionis solutio; quod sic se habet, Thes. 11. 13. 14. "Ad probandum, ait, asserti veritatem, recepi terram

(*a*) Lug. Bat. 1743. 4o. (*c*) Thes. 39.
(*b*) Thes. 8.

" egregie

" egregie & absque fimo fertilem, illiusque *portionem* a-
" qua calida elixavi; lixivium per chartam bibulam fil-
" travi, ac seposui. Terram restitantem denuo aqua ca-
" lida extraxi, imo aliquantum coxi; extractum filtra-
" vi, ac priori admiscui. Hanc extractionem ejusdem
" terræ aliquoties reiteravi, tandemque omnia extracta
" in patellis vitreis, leniter evaporando, ita concentravi,
" ut de eorum *mensuris aliquot*, non nisi libra una restita-
" ret. Extractum concentratum coloris erat obscuri bru-
" nei, multumque *terræ subtilis & unguinosæ* ad latera
" fundumque vitrorum, sub evaporatione, demiserat; &
" superficies cuticula quadam obducta erat, qualem lixi-
" via salina, sub sui evaporatione, formare solent. Si
" leniter ad siccitatem evaporatur, acquiritur *magma un-
" guinoso-salinum*, bruneo-rubicundi coloris; quod si de-
" nuo aqua solvitur, filtratur, leniterque evaporatur,
" pellucidum fit, & elegantiorem colorem nanciscitur,
" nihil terrei ulterius deponens, quotiescunque etiam
" solvatur. Idem experimentum succedit cum omnibus
" terris fertilibus, ita ut quanto fertilior existit terra, eo
" plus substantiæ subtilis aquæ suppeditet: haud ita
" prompte tamen succedit cum pure lutosis, argillaceis,
" sabulosis, aliisque sterilibus, utpote quæ valde parum,
" aut plane nihil interdum, aqueo menstruo communi-
" cant. Ex his sequitur, quod differentia specifica ter-
" rarum natura fertilium & sterilium in eo consistat,
" quod illæ multum, hæ autem parum aut nihil, sub-
" stantiæ terreæ subtilis & aqua solubilis contineant."
Ita D. *Külbel*. At claudicare videtur oratio. Nam,

25. (a) Male omittuntur quantitates terræ fertilis, & aquæ quibus usus D. *Auctor*, ut & magmatis unguinoso-salini; quid enim denotant *portio terræ fertilis*, & *mensuræ aliquot aquæ*, hariolari non possum. Sed præterea (b) non expertus est, num " fruges ac segetes læ-
" tius & uberius crescerent in suo magmate unguinoso-
" salino," per se, aut arena mixto, quam in alia terra, aut quam in terra residua a sua (prima saltem) extractione. Notat enim insignis rei rusticæ scriptor, *Jethro Tull*, " Nitrum aliosque sales, non aliter alimentum

" præbere

" præbere plantis, quam arſenicum muribus." Si enim alterutrum horum eveniret, fruſtra altius inquireret.

Cepi ego terræ, & arte & natura fertilis, lb. viii. cujus lb. iv. cum aquæ plus quadruplo dilui, baculo fortiter & diu agitavi, & poſt quinque dierum macerationem, effudi aquam, terramque modice ſiccavi. In terra hac abluta novem ſemina cucumis ſativi, & totidem raphani minoris, plantavi; & eodem tempore, numerum æqualem eorundem ſeminum commiſi aliis lb. iv. ejuſdem terræ illotæ, ſed ſatis madefactæ. Minime tamen in hac quam in illa lætius aut uberius creverunt: imo contra lætius & uberius in abluta quam illota terra vegetarunt, præcipue cucumis. Objiciet forte aliquis, quod non aqua frigida, ſed bulliente, & repetita elixatione, ſit tota hæc terra ſubtilis & unginoſa extrahenda. At quæ e terra ita tantum extrahi poteſt, certe nunquam a plantarum radicibus extrahetur, aut ſucci nutritii partem conſtituet. Affirmatio itaque hæc auctoris, venia illuſt. Academiæ, & præclari *Caroli Linnæi (a)*, minime hoc experimento, probatur, nec ullo modo probari poteſt quantum adhuc apparet. De analyſi itaque hujus magmatis, utcunque imperfecta, non eſt quod ſoliciti ſimus.

26. Denique *(b)* ita ſcribitur, " Imo terra hæc unguinoſa regno vegetabili natales ſuos debet.—Telluri tamen ab initio creationis fuiſſe ingenitam exinde elucefcit, quod agri dentur natura ſua adeo fertiles, ut plane nullis auxiliis egeant ſtercorariis." Quod quidem præclari auctoris hypotheſi contradicere plane videtur. Tales dari agros, negandum non eſt: ſed neque inde concludendum eos ideo fertiles, quia terra illa unguinoſa abundant; nam etſi ex tali terra tantum conſtarent, hanc tempore conſumi neceſſe eſſet: et fertiles potius cenſendi tales agri, quoniam in iis nullum exſtaret vegetationi impedimentum, requirerentque ad fertilitatem, nil niſi aquæ, aeris, & caloris auxilium, quodque experimentis ſupra *(c)* memoratis confirmatur.

(a) Phil. Bot. *p.* 88.
(b) Theſ. 34.
(c) No. 22.

§ viii.

§ VIII.

27. Recentior adhuc eſt, & magis obſcura idea vegetationis, quæ habetur in *hyſtoria phyſica*, nuper *Pariſiis* primo, & dein *Hagæ Comitum* (a) edita, quæ ſic ſe habet, ſi auctorem intelligo (b).

Cum ſalia & alia nonnulla foſſilia compoſita ſint ex partibus & inter ſe, & corpori quod conſtituunt conſimilibus; granum ſalis marini ſit cubus, ex infinitis aliis cubis conſtans; plantæ quæ ſibi ſimiles producere valent ex omnibus earum partibus, ſint corpora organica, compoſita ex aliis corporibus organicis conſimilibus, quorum partes primitivæ & conſtituentes ſunt etiam organicæ, non quidem oculo, ſed ratione & analogia percipiendæ; hinc credere ducimur, quod *in natura* revera *exiſtat infinitas partium organicarum viventium, ejuſdem ſubſtantiæ cum corporibus quæ conſtituunt.* Uti enim accumulanda millia millium forte ſunt, parvorum cuborum ſalinorum, ad formandum unum ſalis marini ſenſile granum; ita partium organicarum toti conſimilium millia millium requiruntur, ad formandum vel unum e germinibus quæ continet individua & ſingularis ulmus.

" Mihi itaque, *ait*, admodum veriſimile apparet, quod in " *natura* plane exiſtat *infinitas* parvorum *entium organicorum*, omnino conſimilium entibus organicis magnis in " mundo conſpicuis; quod entia illa parva organica " *compoſita* ſint *ex partibus organicis viventibus*, animalibus æque ac vegetabilibus communibus; quod partes " hæ organicæ ſint *primitivæ*, & *incorruptibiles*; quod " harum partium collectiones forment entia organica " viſibilia; & conſequenter, quod *reproductio* aut generatio ſit niſi formæ mutatio, quæ fit & producitur ſola " additione partium conſimilium; ſicuti & *deſtructio* entis organici, earundem ſeparatione." Sententia quidem verborum ambage ambigua, ſi diverſa ab illa ſcholarum de materia prima & formis ſubſtantialibus. Nam,

28. 1°, Quid intelligat per *partes organicas*, difficile videtur dictu. Vel enim ſunt omnes ejuſdem ſemper de-

(a) 1750, in 4°. (b) Tom. 2. c. 2. p. 8.

terminatæ

terminatæ figuræ, ſive ulmum ſive braſſicam conſtituant; & ita nequaquam differant ab atomis Epicureorum, & novacula ex partibus organicis conſtabit: vel harum figura in ulmo, differt ab ea quam habent in braſſica; at ita ulmus nutriri non potuiſſet a braſſica, utcunque putrefacta, quod verum non eſt.

2°, Vocat has partes organicas *incorruptibiles:* & uno ſenſu materia omnis forte dici poteſt incorruptibilis; at ita nulla diſtinctio inter partes organicas & non organicas, ſive inter corpora organica, & corpora rudia *(corps bruts)*, vel non organica. Utcunque vel omnes partes vegetabilium ſunt organicæ & incorruptibiles, vel quædam tantum. Si omnes, tum omnes partes aquæ ſunt etiam organicæ & incorruptibiles; cum longe maxima vegetabilium pars ſit merum aquæ elementum. Si quædam tantum vegetabilium partes ſint organicæ & incorruptibiles; has eſſe terram chemicam neceſſe eſt, aut aquam, cum in aquam & terram, omnia vegetabilia, eorumque partes conſtituentes, arte reſolvi poſſint. Et ſi partes aquæ & terræ chemicæ ſint organicæ, nulla datur materia, vel corpus, cujus partes ſunt non organicæ.

3°, Oportet has organicas partes etiam eſſe *viventes.* Quot modis ſumitur *vitæ* vocabulum, non hujus eſt loci explicare. Auctor utcunque, ni fallor, intelligit vim vel facultatem ſponte ſe movendi. Sed quomodo ulla materiæ pars ſponte ſe movebit, niſi ſit potentiâ electivâ etiam induta, non video. Nam cum ex ſe æque tendat ſurſum ac deorſum, dextrorſum ac ſiniſtrorſum; ſaltem nulla ratio aſſignari poſſit, cur talis particula ex ſe movebit in una directione, potius quam in ulla alia: ergo, niſi aliunde determinetur, aut ſe determinare poſſit, nunquam e loco in quo eſt movebit. Præterea, cum illæ partes ſint *conſimiles, & ejuſdem ſubſtantiæ,* ſi ſupponatur una ex his ex ſua natura ſurſum movere, ſurſum & ſe movebunt omnes; & ita nunquam corpus conſtituent organicum. Cum enim ad formandum vel unum ulmi germen, requirantur millia millium talium organicarum partium, nequaquam ſufficit earum conjunctio, neque ſimplex cohæſio, quacunque vi fiat; ſed uno tantum certo & definito ordine, ex infinitis poſſibili-

 bus,

bus, disponendæ sunt, ut inde formentur varia vasa, *&c.* ita locata, ut sunt illa quæ miramur in tali germine. Ad quod efficiendum alia plane virtus & consilium, imo ratiocinium plus quam humanum, quæ in partibus suis organicis vix spero inveniet auctor, etsi illas sentire etiam & cogitare consingeret.

29. Nec adjumento sunt ficti moduli aut formæ interiores *(a)*, etsi tales existerent, nisi daretur etiam vis dirigens, applicans, conjungens, ut & moduli exteriores organicas has partes coercentes ; ac omnium plus quam infinita varietas. Fictas vocavi has formas, quoniam ad quodnam genus entium pertineant plane ignoro, cum nec spirituales nec materiales sint dicendæ. Analogia etiam talium modulorum, cum gravitate, ascititia admodum videtur. Sit enim *gravitas* qualitas in natura, aut vis summopere activa, intimeque penetrans minimas corporum particulas ; quod tamen ægre probatur, cum impulsu ea perfici quæ gravitati adscribuntur, haud minus philosophicum sit asserere, quam attractione *(b)*. Utcunque, si qualitas sit, inhæret omni materiæ particulæ, & vis ejus ubique uniformis. Suppositi vero moduli neque inhærent omni materiæ, neque ulli parti organicæ simplici, neque magnis ipsis corporibus organicis, neque eorum vis uniformis ; & si sint modi substantiæ, sine substantia subsistunt, vel subsistere possunt. Et,

30. Denique, 4°, Partes has organicas *primitivas* esse oportet, id est, ni fallor, primitus productas ; eo scilicet tempore, quo *cometa* rapide in *solem* devolutus, ex corpore ejus particulas illas parvas excussit, e quibus formata fuit terra, una cum planetis aliis, eorumque satellitibus ; quibus omnibus, vi percussionis insitæque gravitatis, motum & ordinem communicavit, quos in hunc usque diem conservant. Memorabili, dico, illo tempore, quando ex solis substantia, ardentissimo calore liquata & undanti, productum fuit mare, vel tanta aquarum collectio terram obruens, ut non nisi post, nescio quot, seculorum secula, altissima montium cacumina super eam extarent *(c)*.

Natalitius ille orbis terrarum dies, nunquam oblivioni

(a) moules interieurs, l.c. *p*. 15.
(b) Vid. Neut. opt. *p*. 351.
(c) Vid. Hist. phys. t. 1. *p*. 47. *&c.*

jam

jam tradetur; neque dignitate gentilitia, supra alia animalia, spoliantur pelagii piscium greges, tamdiu ejus dominos: usque dum scilicet spontaneo aquarum motu, fortuitisque ventorum flatibus, paulatim grumi, dein tumuli, colliculi, colles, montes, longissimis intervallis, in abysso extructa sunt, tandemque terra sicca apparuit, & sic deinceps. Myriades enim annorum requiri ad producenda conchylia, quorum testæ in montium jugis, æque ac in convallium sabuletis deprehenduntur, satis constat ab exigua quam sustinuit terra mutatione, tribus vel quatuor millibus annorum ultime elapsis.

31. Sed hæc forte non sunt spolia marinorum, sed simul cum terrenis aliis in principio creata; vel uti multa mineralia, lapides v. g. figurati, quasi vegetatione (aut crystallisatione) recentius producta. "Quid de Doctis-"simi *Camerarii* observatione dicetis, qui narrat in *Duca-"tu Wurtembergico* effossas fuisse plus quam sexaginta "maxillas, quarum quædam illas camelorum superave-"rint, & quæ pro elephantinis fuerint habitæ, istasque "omnes ossium formas, a minima per gradus ad maxi-"mam usque, semper fuisse easdem, ut multa non nisi "per microscopia videnda, utrinque tamen suis apophy-"sibus instructa" *(a)*? Unde hæc aliaque petrefacta dicta animalia? Unde insulæ *Melitæ* in petra reperiundæ viperæ? Cur omnes eodem modo contortæ, & capite truncatæ sunt? Forte hæc, ut & lapideæ plantæ innumeræ, ubique fere obviæ, & conchyliorum testis coætaneæ: & si ita sit, corruet eximia auctoris hypothesis, alias nullo fulcimine nixa.

32. "Theologus quidam heterodoxus, ait, capite vi-"sionibus aut insomniis poeticis æstuante, credidit se vi-"disse mundi creationem, *&c.*" *(b)*. Et certe nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum. Sed absurdius figmentum nunquam excogitavit æstuantissimum poetarum caput, quam illud Catholici nostri philosophi de mundi origine, sine creatione aut planetarum mechanica vel fortuita potius productione; quasi indignum esset in physicis, ullam admittere causam supra naturalem, vel ad primam recurrere, utcunque de-

(a) V. Albin. orat. mang. *p.* 40. *(b) Vid.* tom. 1. *p.* 24.

 stituant

ſtituant ſecundariæ omnes. Longe aliter cenſuit philoſophus ille, qui de mundo tractans, ita loquitur: " Reſtat ut ſummatim de cauſa omnium rerum continenti diſſeramus: abſonum enim & flagitioſum eſſet de mundo dicere, & quod mundi potiſſimum eſt præterire. Vetus igitur ſermo eſt, a majoribus proditus inter omnes homines, univerſa tum ex Deo tum per Deum conſtituta fuiſſe atque coagmentata. Nulla enim natura ex ſeipſa ſufficiens eſt ad ſuæ ipſius conſervationem ſine eo, qui omnium in mundo rerum *genitor* & *conſervator* eſt, quique formas rerum omnium citra difficultatem, ſimplicique motu, abſolvit.——In ſumma, quod in navi gubernator, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod denique lex in civitate, & dux in exercitu, hoc Deus eſt in mundo, cui illaborata ſuccedunt omnia, ſine omni moleſtia, aut corporea infirmitate, *&c.*" *(a)*. Sed ut redeam unde digreſſus ſum:

§ IX.

33. Succum nutrientem derivari a radice motu directo in faſtigium arborum, ſatis conſtat; nec de ejus regreſſione motuque laterali experimenta plurima dubitare permittunt. Utrum vero in iiſdem, aut diverſis vaſis & aſcendat & deſcendat, vel an detur humorum circulatio in plantis, non æque certum eſt. Utcunque miſtura, digeſtione, motu, perſpiratione, aliave aliqua organorum vi incognita, ſuccus non naturalis, in naturam cujuſlibet vegetabilis concoquitur, aut naturalis redditur.

De formatione autem aut productione gemmarum, idem ſentio quod *Malpighius* de ſeminali plantula; harum ſcilicet generationem, inter naturæ arcana eſſe reponendam. Quantum enim ex obſervatis adhuc colligere potui, embryon in gemma, non ſecus ac in ſemine, microſcopio contemplatum, primo viſui ſe præbet ſub forma tenuis membranæ, aut pelliculæ aqueo humore turgidæ; e quo ſenſim formantur utriculi, & tandem fibræ fiſtuloſæ, quæ vegetando vix quidem vel parum craſſitie, ſed

(a) *Vid. Ariſtot.* de mundo, c. 6.

multum

multum numero & longitudine augentur. Et idem fere dicendum de annua arborum tunica ſive incremento. Liber enim verno tempore ſucco abundat, ex quo primo veſiculæ, dein fiſtulæ, & tandem novus liber oritur, prioris interiore parte ligno ſe applicante, in novum ligneum involucrum tempore induratur. Ex qua nova tunica, quaſi ex propria matrice, ſequentis anni gemmæ, noſtris ſaltem regionibus, erumpunt; nequaquam e medulla arboris, ut quidam volunt.

§ X.

34. Aliud magnum *vegetativi opus* eſt, generare ſibi ſimile; quod *fructificatione* præcipue perficitur; cujus partes ſunt *Calyx*, *Petalum*, *Stamen*, & *Piſtillum*.

35. *Calyx*, floris baſis eſt & fulcimentum, ſuaque corporatura foliorum ſtaminumque exortum fovet; quin & ipſorum progreſſum plerumque cooperit; quare multiplici forma donatur & magnitudine *(a)*. " Calyx dici " debet pars floris poſterior, craſſitudine quadam notabili " a pediculo diſtincta, flores vel involvens, vel ſuſtinens, " vel utrumque præſtans. Cum vero magnus nodus ſæ- " pe ſit, florum qui calyce donantur, ab iis qui eodem " carent diſtinctio; ideo folia florum, cujuſlibet coloris " ſint, pro calyce habenda ſunt, cum proprium fiunt " ſeminis involucrum, pro petalis vero cum ſecus accidit, " ſive illa brevi pereant ſive durent" *(b)*. At,

Secundum Cl. *Linnæi* Fund. Botanica *(c)* Calycis ſpecies vii. *Perianthium*, *Involucrum*, *Spatha*, *Gluma*, *Amentum*, *Calyptra*, *Volva*. Ejuſque Genera plantarum *(d)* genera 1021 continent. Horum generum ſ. i. c. 673. habent pro calyce *Perianthium*, 72 *Spatham*, 65 *Involucrum*, 29 *Glumam*, 18 *Amentum*, 3 *Calyptram*, nullum *Volvam*. In Phil. Botanica *(e)* Volva deſcribitur, " Calyx *fungi* membranaceus, undique lacerus." Sed in characteribus 11, generum fungorum nulla Volvæ mentio. Et genera 110 circiter calyce carent; dum

(a) Malpig. *p.* 56.
(b) T. *p.* 71. 72.
(c) § 86. a.
(d) edit. 1742.
(e) *p.* 52.

nonnulla

nonnulla (25 circiter) habent & Perianthium & Involucrum; alia Perianthium & Spatham, *&c.* Præterea *Costi* calyx est spadix simplex, spathæ simplices, perianthium tridentatum: *Xyridis, Cyperi, Scirpi, Eriophori,* calyx spica: *Umbellatarum* generum 44 calyx est umbella, *&c.* *Morindæ* & *Eryngii,* receptaculum: *Syngenesiarum* generum 85, calyx communis, vel universalis, vel compositus: *Platani* calyx laciniæ nonnullæ minimæ, *Trichomanis* turbinatus; *Anthocerotis, Blasiæ, Lemnæ,* monophyllus; *Charæ* diphyllus minimus; *Fuchsiæ,* margo integer coronans germen; & sic porro. Multo itaque plures sunt calycis species quam septem. Neque interim video cui usui inserviant tales minutiæ; cum vix aliter quis scire possit quid intelligat per species calycis, pericarpii, receptaculi, quam contemplando plantas ipsas; & hoc modo facile satis claram, & distinctam acquiret cujuscunque calycis, *&c.* ideam, etiamsi de dictis ejus speciebus nunquam audivisset.

36. *Petala* vocantur folia illa quæ forma & colore plerumque cæteris partibus præstant, quæ nunquam fiunt proprium seminis involucrum. *Fabius Columna,* primus omnium quantum novi *Petali* vocem usurpavit, ut folia florum a foliis proprie dictis distingueret *(a).* Hæc a quibusdam flores simpliciter vocantur, ab aliis florum bracteæ.

Cum vero occurrunt etiam in floribus nonnullis quasi petala secundaria, a prioribus satis distincta, quæ in Granadilla a *Tournefortio* vocantur *Corolla fimbriata,* in helleboro *Cornicula,* in nigella *Corolla,* in aconito *Styli duo, &c.* & in genere a *Linnæo, Nectaria*; ex usu est, uno nomine generali utraque hæc petala exprimere; & tale est *Corolla Linnæi:* sed quoniam hæc vox multo diversas res apud Latinos denotat, forte aptius dixisset Anthum, *Columnam* imitatus, vel cum *Jungio* Bracteam. Utcunque "Corollæ species 2, Petalum, Nectarium; partes 4, "Limbus, Tubus, Lamina, Unguis" *(b).*

37. *Stamina* sunt capillamenta illa tenuia, quæ floris medium tenere & apices sustinere solent. *Apices* vocantur summæ staminum partes, crassiores, tumidæ, cavæ,

(a) T. *p.* 70. *(b)* Phil. Bot. 86. ii.

receptaculis

receptaculis ſimiles, plerumque in duo loculamenta diviſa, & bivalvia *(a)*. Stamina *Floccos* vocat *Cæſalpinus*; horumque apices, *Antheras*, *Linnæus*. " Turgentibus " orbicularibus corporibus quibus ſtaminum capitula re- " plentur, exſiccataque continente capſula, foras prode- " unt globuli minimi, & diſperguntur. Hi globuli quaſi " atomi, diverſe configurantur & colorantur, frequenter " luteum ſapiunt colorem" *(b)*. Stamina oriuntur vel e calyce, vel, & frequentiſſime, ex petalis, vel ex fructus embryone. " Antheræ ſtigmati adhærent abſque fila- " mentis in Ariſtolochia." Phil. Bot. *p*. 73.

Piſtillum vocat *Tournefortius* partem eam quæ floris centrum inter ſtamina occupare ſolet, & multiformis eſt *(c)*. *Stylus*, *Malpighio*, pars eſt centrum floris occupans, quæ concavitate ſemen fovens, appendice aſſurgit, luditque inter ſtamina. Florum partes in gratiam ſtyli ſeu uteri fabrefactas eſſe, notum eſt; in hoc enim ſemen, quod ultimo a natura expetitur, affabre cuſtoditur *(d)*. Styli appendices, *Cæſalpinus (e)* vocat Stamina.

" *Fructificatio*, vegetabilium pars temporaria, gene- " rationi dicata, antiquum terminans, novum incipiens; " hujus partes vii. numerantur. 1°, *Calyx*, cortex plan- " tæ in fructificatione præſens. 2°, *Corolla*, liber plan- " tæ in flore præſens. 3°, *Stamen*, viſcus pro pollinis " præparatione. 4°, *Piſtillum*, viſcus fructui adhærens " pro pollinis receptione. 5°, *Pericarpium*, viſcus gravi- " dum ſeminibus, quæ matura dimittit. 6°, *Semen*, pars " vegetabilis decidua, novi rudimentum, pollinis irriga- " tione vivificatum. 7°, *Receptaculum*, baſis qua partes " fructificationis vi. conneƈtuntur." Ita Phil. Bot. *(f)* ſed quo jure, ex ſequentibus patebit. Hic ſolum addam, quod facit piſtilli partes tres, *Germen* ſcilicet, *Stylum*, & *Stigma*, (ita enim Piſtilli ſummitatem vocat, &) cui Piſtilli deſcriptio unice convenire videtur.

(a) T. *p*. 70.
(b) Malpig. *p*. 63. 64.
(c) *p*. 70.
(d) *p*. 64.
(e) l. 1. c. 7.
(f) *p*. 52.

§ xi.

§ XI.

39. Quod ad harum partium texturam & compoſitionem attinet, interioris cauliculi ſeu pediculi ſubſtantia, docente *Malpighio*, fiſtulæ ſcilicet & tracheæ extenduntur & elongantur in floris folia, quæ omni vaſorum genere inſtructa, pendentibus utriculorum ſeriebus integrantur. Ut plurimum vaſa non ab una excedunt coſtula, ſed copioſi faſciculi a baſi exurgunt, & productis ramis in omnem dimenſionem elongantur. Ita etiam, ſtamina ligneis fibris & tracheis integrantur ſingula, quibus utriculi per longum locati adduntur *(a)*.

Omnes dictæ partes non occurrunt in cunctis floribus: nonnulli enim calyce involvente carent, alii petalis, alii piſtillo; dum in omnibus fertilibus floribus ſemper adſint & ſtaminum apices & piſtilla; quæ itaque apparent eſſe partes maxime eſſentiales. De apicum vero, eorumque pulveris uſu, non conſentiunt adhuc Botanici.

40. Ait enim *Cæſalpinus (b)*, " Fructum ferunt, non
" vero florent Oxycedrus, Taxus; in genere herbaceo
" Mercurialis, Urtica, Cannabis; quorum omnium ſte-
" riles *mares* vocant, *fœminas* autem fructiferas. In eo
" tamen genere, fœminas melius provenire, & fœcundi-
" ores fieri aiunt, ſi juxta mares ferantur, ut in Pal-
" ma eſt animadverſum; quaſi halitus quidam ex ma-
" re efflans, debilem fœminæ calorem expleat ad fructi-
" ficandum."

Et *Raius*, " Quis harum partium uſus ſit ambigitur:
" nonnulli ornatus gratia floribus conceſſas putant: alii
" ad materiam generationi ſeminum incongruam elimi-
" nandam, ut reſidua purior & defæcatior evadat, ade-
" oque velut emunctoria eſſe. *Grevius* vero noſter, non
" hunc tantum uſum ſtamina præſtare opinatur, ſed & *pol-*
" *linem* illum, ſeu globulos, quibus apices prægnantes
" ſunt, quoſque per maturitatem effundunt ſpermatis ma-
" ſculini inſtar, *ſeminibus fœcundandis inſervire exiſtimat*;

(a) R. H. *p*. 16. *(b)* l. 1. c. 7.

" ac

" ac proinde maximam plantarum partem utriusque se-
" xus participem esse" *(a)*.

Grevii sententia plurimis arridebat Botanicis, & imprimis *Raio (b)*; deinde *R. Camerario, &c.* quorum tamen nonnulli, tacito auctoris nomine, pro propria venditarunt; præcipue *D. Geoffroy (c)*, & *D. Vaillant (d)*. Alii vero eam stabilire variis argumentis annisi sunt, ut *Raius* ipse, *Camerarius, &c.* Sed micat inter omnes præclarus *Linnæus*; qui ita scribit.

" Antheras & stigmata constituere sexum plantarum,
" a palmicolis, *Millingtono, Grewio, Raio, Camerario,*
" *Godofredo, Morlando, Blairio, Jussievio, Bradleyo,*
" *Royeno, Logano, &c.* detectum, descriptum, & pro in-
" fallibili assumptum; nec ullum apertis oculis conside-
" rantem cujuscunque plantæ flores latere potest; quod
" demonstratum in *Sponsalibus Plantarum*, Ups. 1746,
" in 4o." *(e)*. Et alibi, " *Generationem* vegetabilium
" fieri mediante pollinis antherarum illapsu supra stig-
" mata nuda, quo rumpitur pollen, efflatque *auram se-*
" *minalem*, quæ absorbetur ab humore stigmatis, confir-
" mat oculus, proportio, locus, tempus, pluviæ, pal-
" micolæ, flores nutantes, submersi, syngenesia, imo
" omnium florum genuina consideratio" *(f)*; dogmatice satis.

§ XII.

41. Ex altera parte autem, Clar. *Tournefortius* & *Pontedera*, utut genuini florum contemplatores, talem generationem aut usum pollinis minime admittunt. *Pontedera* quidem diserte asserit, apicum liquorem embryonis fœcundationi, in omnibus plantis, non esse necessarium; atque multis rationibus evincere conatur *(g)*. At experimentis ipsius *Camerarii* plane demonstratur.

Si enim una planta fructifera, seu femella Cannabis,

(a) V. Grew. Anat. pl. *p.* 171. & R. H. *p.* 17.

(b) Vid. l. c. & Syl. exter. Stirp. edit. 1694, præfationem.

(c) Act. Par. An. 1711.

(d) De struct. flor.

(e) Syst. Nat. *p.* 216.

(f) Phil. Bot. § 145.

(g) Vid. P. Anthol. l. 2. a *p.* 107. ad 185.

 Mercurialis,

Mercurialis, aut Spinaciæ, solitaria, absque vicini maris contagio exculta, semina fœcunda producat; tum pulvis vel liquor apicum non requiritur ad embryonis fœcundationem in omnibus plantis: sed femellam Cannabis, Mercurialis, & Spinaciæ, solitariam, absque vicini maris contagio excultam, semina fœcunda producere vidit *Camerarius (a)*: Ergo apicum liquor embryonis fœcundationi in omnibus plantis non est necessarius. Sed generationem vegetabilium fieri posse sine pollinis antherarum illapsu supra stigmata nuda, dictitat & confirmat oculus *Camerarii*; eademque & ipsi vidimus. Nam vere an. 1737, tria Spinaciæ vulgaris T. plantaria novella, transtulimus ab una parte horti in aliam 240 pedibus Anglicanis plus minus distantem, cum interpositis quinque sepibus vivis, satis altis & crassis; & antequam ulla Spinacia caulescere incipiebat. Forte fortuna omnes tres plantæ fructiferæ erant, & copiosa semina dabant fœcunda; sata enim germinarunt, æque bene ac ullum Spinaciæ semen solet. Hinc de hac theoria dubitare cœpi.

42. Et ut exploratum magis adhuc haberem, quid conferat apicum pulvis ad fœcundationem, periculum feci in Mercuriali & Cannabi J. B. ac inveni quod prioris una solitaria fœmella, ab omnibus maribus plus 2000 pedibus dissita, & posterioris una remota ab aliis omnibus plus mille passuum, seminibus tamen fœcundis abundarunt. Idem observavit in Lupulo *Tournefortius (b)*, in Bryonia, *Ph. Millerus (c)*, & fere idem in Mercuriali *Godofredus* ipse *(d)*. Assertum itaque Cl. *Pontederæ* certissimum esse pronuncio. At audiamus Sponsalia Plantarum.

" Accidit tamen interdum, ut Cannabis seminifera
" unum alterumve ferat florem staminiferum, quo non-
" nullæ fœminæ impregnari possint; quod *Camerarium*
" lusit." Ita D. *Wahlbom (e)*. Hoc certe est ludere insigniter, ne quid durius dicam. Tales flores in cannabi seminifera ego nunquam vidi, nec de iis audivi prius. Sed D. *Wahlbom* forte vidit. In nostra planta, certe

(a) Misc. cur. Dec. 3. an. 3. app. *p*. 31.—40.
(b) *p*. 69.
(c) Gard. Dict. abridg.
(d) Act. Par. an. 1711.
(e) Amæn. Acad. 1. *p*. 99.

nunquam

nunquam vidit, neque in aliis ſupra memoratis. Hoc videtur nodum diſſecare, non ſolvere. Et ſi ita ſit, contra experimenta facta nil valet auctoritas, neque argumenta, ex *loco*, *tempore*, *&c.* quorum tamen quædam examinabo, & diruere conabor.

§ XIII.

43. 1°, Argumentum maxime decantatum eſt illud e *caſtratione* florum, ut loqui amant, deſumptum. " Si " antheras alicujus plantæ uniſloræ auferamus, & ne a- " liqua alia ejuſdem ſpeciei adſit curemus, abortit fru- " ctus, vel ſaltem ova profert ſubventanea; quod adeo " certum, ut quiſque nullo non ſucceſſu id experiri " queat" *(a)*. Hoc certe gratis dictum, cum in omnibus talibus plantis ſe expertum eſſe dicere non poteſt: & etſi concedatur, nihil probat; cum vulnus in parte, alias neceſſaria, aut ſucci diſpendium, in cauſa eſſe poſſit. " Sæpius avulſis floris foliis, antequam hiarent, in *Tulipa* " præcipue, expectavi an ſtylus incrementa caperet; & " interdum ejuſdem incrementum *remorari obſervavi*, " quandoque quædam ſemina, abſque noxa, debitam ſor- " tita ſunt magnitudinem" *(b)*. Sed præterea, nullo ſucceſſu expertus ſum: nam (ineunte æſtate ultime elapſa) abſtuli e duabus Tulipis ſimul creſcentibus, omnes antheras, adhucdum immaturas & integras, petalis nimirum inapertis, & caute ſeparatis parum; nihilominus fructum maturuit utraque, ſeminibus, ut ſolet, onuſtum, etſi alia Tulipa in eodem ſepto, ſepibus vivis circundata, adeſſet nulla. Cum vero alio anno, ex duabus Tulipis ibidem natis, evulſa erant, una cum apicibus, etiam ſtamina, abortum fecit ſive exaruit utriuſque fructus, nullum poſtea incrementum capiens. *Vid. P. Milleri* exper. de Tulipis, Dict. voc. *Generation*, ſub finem.

44. 2°, Aliud argumentum deſumitur a cultura palmarum. " Fructum, ait *Theophraſtus*, perdurare in pal- " ma fœmina nunquam poſſe, niſi florem maris cum " pulvere ſuper eam concuſſerint; & hoc enim quidam " dicunt, peculiare profecto eſt, ſed ſimili caprificationi

(a) Sponſ. pl. *p.* 86. *(b)* Malpig. *p.* 70.

" ficorum, qua fructus perficitur. Ergo fœminam minus ad perficiendum sibi sufficere aliquis potissimum dicet. Quod tamen non in uno genere aut duobus, sed vel in omnibus, vel in pluribus, constare deberet. Naturam etenim generis ita dijudicamus. Et in his tamen ipsis paucis generibus mirum quod palmæ nulla ratio dari possit, cum caprificationis causa conspicua esse putetur" *(a)*. Et alibi, " Palmis fæminis masculi conducunt. Hoc enim & perdurare & maturescere fructus facit. Quod ipsum caprificare dicebant ob analogiam quandam: fit hunc in modum. Dum mascula floret, involucro abscisso quo flores emergunt, protinus ut lanuginem, & florem, & pulverem continet, super fructum fœminæ decutiunt. Illa sic ea aspersione afficitur, ut suos fructus nullo pacto amittat, sed cunctos conservet. Videtur tam ficus, quam palma mas, adjumento esse fœminæ: fructiferam enim fœminam vocant. Sed in palma quasi coïtus fit, in ficu vero alia ratione contingit" *(b)*. Quæ hac de re occurrunt apud recentiores, longum esset transcribere. Adeat Lector, si placet, *Jo. Leo (c)*, *Alpinum (d)*, *Mustapham (e)*, *Kæmpferum (f)*, *Labat*, *Ludwig*, &c.

45. Sed merito audiendus est *Herodotus*, utpote qui primus omnium, & centenis plus annis ante *Alexandrum Magnum* natum *(g)*, de hac palmarum cultura scripsit. " In *Babylonis* agris, inquit ille, palmæ magna ex parte fructiferæ proveniunt; ex quibus non solum cibum, vinum, & mel conficiunt, sed etiam eodem modo quo ficus curantur. Palmarum enim, quas Græci masculas vocant, fructus palmis glandiferis alligant, ut earum fructum maturet *Culex* subiens, ne ex arbore is defluat. Ferunt enim palmarum mares *(ψῆνα)* culices in fructu, quemadmodum caprifici." Ita *Herodotus* in *Clio*, ut traditur a *Bodæo* a *Stapel (h)*; qui alibi *(i)* & hæc habet: " Agricolæ etiamnum, ut refert Doctiss.

(a) De caus. pl. l. 3. c. 23.
(b) De hist. pl. l. 2. c. 9.
(c) Harris. Coll. 1. *p*. 347.
(d) Pl. Æg. *p*. 24.
(e) T. *p*. 69.
(f) Amæn. exot. *p*. 706.
(g) *Vid.* Spons. pl. præf. *p*. 61.
(h) in Theoph. *p*. 115.
(i) *p*. 103.

" *Guillandinus*,

" *Guillandinus*, in *Arabia*, *Ægypto*, *Mesopotamia*, *Judæa*, *Phœnicia*, & tota *Syria*, volentes cavere ne fœminæ aut sterilitatis noxam incurrant, aut fructum ante maturitatem amittant, ita ordinant utriusque sexus palmas, ut mares eo saltem intervallo a fœminis distent, quo pulvis, ventorum flatibus, a foliis mascularum sublatus, in fœminarum folia incidat; idque satis ad fœcunditatem & fructus maturationem facere compertum est. Sed mirum dictu, quod si qua procul a mare abstiterit, ut neque pulvis, neque aura odorve ejus ad eam permeare possit, excogitaverunt coloni *funem a mare religatam ad fœminam usque producentes*, ita quasi maritali vinculo copulatam, masculi virtute clanculum per funem irrepente, fœcundam fieri, quæ prius in ea sterilescebat solitudine." Insecta quidem facile per funem irrepere posse satis constat, sed pulverem ita serpentem quis unquam vidit?

46. Præterea de necessitate, imo & veritate talis culturæ in palmis ipsis merito dubitandum est. " Cum in *Hispaniæ Bætica*, ait *Tournefortius*, palmarum feraci, a prudentioribus viris de hac re sciscitarer, certum nihil accipere potui. De Lupulo certius loquor. In horto regio *Parisiensi* luxuriat fructibus quotannis onustus. Qui vero floribus gaudet, non occurrit, nisi in insulis Sequanæ & Matronæ longe distantibus; in horto regio tamen semina profert" *(a)*.

Responsio D. *Wahlbom (b)* ita se habet quoad Lupulum. " Humulus duplex omnino est; unus floribus superbit staminiferis, alter pistilliferis; idque quod fructum vulgo vocant, est *calyx* tantum explicatus & elongatus: hinc Humulus quamvis fœmina, nec fœcundata, conos tamen proferre valet. *Vid.* Iter. Gottland. 275. Hoc *Tournefortium* decepit, ne sexum plantarum agnosceret, quum Lupulus (fœmina) in horto *Parisiensi* luxuriabat, fructibus quotannis onustus, qui vero floribus gaudebat (mas) non occurrebat nisi in insulis Matronæ & Sequanæ multum distantibus, *p.* 69. Idem fit in Moro & Blito, cujus baccæ calyces sunt

(a) T. *p.* 69. *(b)* Amæn. Acad. *p.* 99.

" succulenti,

" ſucculenti, minime pericarpia ſeu ovaria." Ita iterum nugatur Sponſalium auctor. Qua in re quæſo decipitur *Tournefortius?* Characterem diſtincte dat, floreſque ac fructum pingit accurate *(a)*, adeo ut ſine beneficio tabulæ Lupuli in *Tournefortio*; Humuli character in Lin. Gen. Plantarum *(b)* haud facile intelligatur. Saltem D. *Wahlbom* illum haud bene intelligit. Nam reprehendere videtur *Tournefortium*, quod conos vocat fructum; cum " quod fructum vulgo vocant, ſit calyx tantum expli" catus & elongatus." At eſt revera fructus ſecundum *Linnæum* ipſum, nam " eſſentia fructus conſiſtit in ſe" mine" *(c)*. Et " fructus ex ſemine dignoſcitur, ſive " pericarpio tectum ſit, ſive non." Phil. Bot. *(d)*. Imo [illegible]m continet. piſtilliferis floribus ſuperbit, ſecundum D. *Wahlbom*; ergo hi coni, aut calyces elongati, ſunt revera fructus. Sed ſit fructus vel non fructus, nihil refert, cum *Tournefortius* diſertis verbis addat, " In horto regio *ſemen* pro" fert." Omittunt hæc Sponſalia, etſi de ſeminibus tantum ſit quæſtio. Quid videndum ſit in *Itin. Gottland.* non ſcio; ſed Lupuli hic venales ſeminibus ſcatent; etiamſi *Humulus* floribus piſtilliferis ſuperbiens ſolum colatur. Quoad Morum & Blitum, nihil commune fere cum Lupulo habent. Imo Bliti " Pericarpium eſt ca" pſula tenuiſſima, & cruſta fere ſeminis ovata, parum " compreſſa," ſecundum *Linnæum (e)*. Sed ad palmam redeamus.

§ XIV.

47. Quæ de palmæ cultura traduntur, non conveniunt bene inter ſe, ut conferenti auctores citatos facile patebit. Narrat J. B. ſe *Monſpeſſuli* vidiſſe unam inſignem palmam vere florentem, & etiam dactylos autumno ferentem ſatis magnos. " Ipſi etiam, ait, ex arbore de" cerptos habemus tam flores quam dactylos. Centeſi" mum annum ſuperare creditur; & vulgo ibi perſua" ſum, ante grandem ætatem fructum non proferre, &

(a) *p.* 535. *t.* 309.
(b) *p.* 477.
(c) Phil. Bot. § 88.
(d) *p.* 56.
(e) Gen. pl. *p.* 5.

" vix ante quinquagesimum annum, ut quidam perhi-
" bebant" *(a)*. Sera hæc palmarum fructificatio ortum dedisse videtur fabulis nonnullis, qualis illa *Joviani Pontani*, qui carmine celebrat duas palmas, marem unam *Brundusii*, fœminam aliam *Hidrunti*, quæ diu steriles permanserunt, donec scilicet paulatim succrescentes, nondum altera alteram contueri poterat: ubi vero tantum adolevere, ut sese invicem conspicere potuerint, longo quantumlibet multorum stadiorum dissidentes, fœtificari cœperunt *(b)*. Ut & illa alia de amore palmarum, in *Plinio*, & prolixius in *Florentini Geoponicis*. " Cætero, ait *Plinius* de palmis tractans *(c)*, non sine
" maribus gignere fœminas, sponte edito nemore, con-
" firmant: circaque singulos plures nutare in eum pro-
" nas blandioribus comis. Illum erectis hispidum, ef-
" flatu visuque ipso & pulvere etiam illas maritare (vel
" illis maritari). Hujus arbore excisa viduas post steri-
" lescere fœminas. Adeoque est veneris intellectus, ut
" coïtus etiam excogitatus sit ab hominibus, ex maribus
" flore ac Lanugine, interim vero tantum pulvere insper-
" so fœminis." Ita *Plinius*. Elegantius hæc refert *Cassianus Bassus*, l. x. c. 4. ita, " Cæterum palma ipsa
" amat, & quidem ardenter, alteram palmam, velut
" *Florentinus* in *Georgicis* suis tradit; neque prius deside-
" rium in ipsa cessat, donec ipsam dilectus consoletur.
" Videre enim est ipsam arborem incurvatam, & non
" ferentem proprium firmamentum, neque fructum pro-
" ducentem. Atque hoc ipsum agricolam non latet:
" novit enim quod amet, quam vero amet ignorat, *&c.*"
Qui fabulis hisce delectatur, adeat J. B. *(d)*, vel *Bod.* in *Theophrastum (e)*. Nam hisce annumeranda sunt quamplurima, si non omnia, quæ de fœcundatione palmarum traduntur. Imo palmam dactyliferam solitariam dactylos maturos produxisse certissimum esse videtur; num ossa talium sint fœcunda, adhuc determinare non ausim. Utcunque sint fertilia vel non fertilia, parum refert ad stabiliendam generalem doctrinam, cum sit sin-

(a) J. B. 1. *p.* 360.
(b) *Vid.* J. B. 1. *p.* 363. vel Bod. in Theoph. *p.* 103.
(c) l. 13. c. 4. *p.* 320.
(d) 1. *p.* 362. *&* seq.
(e) *p.* 103.

gulare

gulare exemplum, ut docuit *Theophrastus (a)*, præcipue cum plurima contrarium evincunt.

48. 3°, Alia argumentorum classis desumitur ab analogia vegetabilium cum animalibus *(b)*. At analogia per se nihil probat. Vulgo dicitur, omne simile est etiam dissimile. In plurimis conveniunt, non vero inde sequitur, in omnibus. "Ad summam, ait *Theophra-*" *stus (c)*, non omnia similiter atque in animalibus ac-" cipi debent. Nam vis undique germinandi habetur, " quoniam & undique animatum est." Et *Malpighius (d)*, "In vegetantibus, ubi non est tantus organorum " apparatus, & cuilibet sensibili particulæ omnia insunt " quæ in toto deprehenduntur, *nulla intercedente genera-*" *tione*, abscissi quicunque rami frequenter in novam so-" bolem excrescunt; vel naturæ ministerio, deciduæ " minimæ & compendiariæ plantulæ a tenellis surculis, " sub seminum specie, propagationem quocunque anno " perpetuant." Hinc gemmis, sæpe felicius & facilius, propagantur plantæ, quam seminibus: hinc *Allium, Cepa, Porrum, &c.* gemmas pro radicibus ferunt, ac etiam in summis caulibus, loco seminis: & hinc etiam *Cyclaminis* semen, observante *Clusio (e)*, terræ commissum, in germen non abit, sed in tuberculum aut radiculam convertitur, præter reliquorum seminum naturam, unde postea folia promit. Similes soboles vel gemmas vidit *Cæsalpinus* in summitatibus foliorum herbæ *Moly* dictæ; in caulibus *Tuliparum* sæpe occurrunt; & *Lilia* bulbifera sunt omnibus nota. Sed quid est gemma?

49. "Differt soboles a semine, ut fœtus vivens ab o-" vo. Semen enim tanquam ovum est, in quo est prin-" cipium vitale, at vita nequaquam: soboles autem " vivit, primo quidem juxta parentem, ut ejus germen, " postea vero per seipsum, propriis radicibus ex terra " humorem trahens," *Cæs. (f)*. "Gemmæ sunt velut " infans, seu fœtus ita custoditus, ut suo tempore auctus, " in surculum excrescens, tandem ova promat. Erit

(a) *Vid.* No. 44. supra.
(b) *Vid.* Fund. Bot. § 132. ad 150.
(c) De hist. l. 1. c. 1.
(d) Anat. pl. *p.* 76.
(e) Hist. *p.* 264.
(f) l. 1. c. 5.

" igitur

" igitur probabiliter ſemen quaſi gemma pendula & de-
" cidua, alieno germinatura ſolo," *Malpig.* *(a)*. Et a *Petro Lofling Madelpado*, in erudito ſuo tractatu, *Gemmæ Arborum* dicto, ita deſcribitur, " Gemma eſt pars plan-
" tæ radici inſidens, quæ occultat ſquamis, foliorum ru-
" dimentis, embryonem futuræ herbæ" *(b)*. Et alibi *(c)*, " Gemmam proinde concipio inſtar herbæ in com-
" pendium redactæ, tectæ, & contractæ ſua inter ex-
" trema folia, ut ab aeris injuria conſervetur; cui herbæ
" nihil amplius deeſt, quam vis ſe extendendi: eam
" autem calor demum excitat." Gemma itaque eſt plantula, vel plantæ embryo, cum ſuis involucris. " Ve-
" getabilia, *ait Linnæus*, ex ovo provenire dictitat ra-
" tio & experientia; vegetabilium ſemina eſſe *ova* docet
" eorum finis, ſobolem parentibus conformem produ-
" cens. Generationes plantarum ex ſemine & gemma
" eſſe coævas, docet gemmarum conſideratio & præcoci-
" tas floreſcentiæ. Semen proprie, novum vegetabilis
" rudimentum, humore rigatum, veſica tunicatum" *(d)*. Ergo ſemen eſt gemma, ſeu ſoboles decidua, vel embryo plantæ, aut plantula cum involucris. Ergo gemma proprie ſatis & vere dici poteſt alterum ſemen, vel ſemen perfectius. At D. *Lofling (e)*, " Qui gemmam ſibi repræ-
" ſentant ut alterum ſemen, fallunt & falluntur;" quam vere, judicent alii.

50. Si itaque gemmæ ſint quaſi ſemina perfectiora, & copioſe erumpant e pleriſque plantis, præcipue putatis, imo e læviſſimis corticis partibus; & ſi minima pars plantæ in novam ſæpe ſobolem excreſcat, vel gemmas emittat, ſine ullo ſexus diſcrimine, aut floreſcentia; quid quæſo analogice vetat quin *ſemina*, imperfectiores hæ gemmæ, producantur, ſine illapſu pollinis antherarum ſupra ſtigmata, aut ulla intercedente generatione?

§ XV.

51. At contrarium, ſecundum *Linnæum*, dictitat *oculus*.

(a) An. pl. *p*. 39. & 77.
(b) Amæn. Acad. v. 2. p. 185.
(c) *p*. 192.
(d) *Vid*. Phil. Bot. *p*. 88. 89. & 54.
(e) Amæn. Acad. 9. *p*. 185.

 Quid

Quid dictitat oculus? Triplicem responsionem dant præclari auctores. " Ipsa autopsia, ait *Joh. Gesnerus* " *(a)*, hunc generationis actum edocet. Primus qui " florum connubia vidit, Cel. D. *Seb. Vaillant*, in peculi- " ari de structura florum libello, tam eleganter descri- " bit, ut nemini de hac re dubium superesse possit; non " obstantibus Cl. *Pontedera* & *Siegesbeckio*, qui, in hodi- " erna luce, sexum plantarum & actum generationis " non penitus agnoscunt. Ita autem Cl. *Vaillant*: Quo- " ties acciderit, ut in eadem stirpe flores gerantur simul, " quorum hi fœminina tantum, illi autem masculina & " fœminina conjuncta, organa cingunt, arrectio tumor- " que organorum masculinorum in his tam subito con- " tingit, ut lobuli gemmæ flosculosæ cedant illorum im- " petui, atque hinc inde semet expandant mirabili me- " hercle velocitate; *neque citius libera se & expedita ex-* " *periuntur, quin* extemplo quam violentissime fœcun- " dam explodant, omnemque uno impetu ejaculentur " genituram, diffusa nimirum pulverulenta nubecula, " spargente quaquaversum fœcundationem arvi genitalis? " Vix venereus hic ludus absolutus est, quin illico flo- " rum labia aut lobuli ad se invicem accedant, eodem " quidem quo a se mutuo recesserant celeritatis impe- " tu, veteremque ita formam statim renovant. Appa- " ratum hunc artificiosum facile spectare datur in *Parie-* " *taria*. Sed accedas oportet hora sacra veneri! Au- " rora est quæ favet his congressibus; ubi vero agere " renuunt satis opportune, cogere vel sic poteris, aci- " culæ apice leniter modo stimules. In hermaphroditis, " ubi duo sexus conjuncti habentur, multum abest ut " tanto impetu explodatur: plerique enim flores, præ- " cipue nutantes, in quibus pistillum obliquum intra " stamina positum habet, actum generationis floribus " clausis exercent, dum stigma adhuc intra medias an- " theras continetur." Ita D. *Gesnerus*.

52. Sed, *Gesneri* venia, *Jo. Bauhinus*, qui mortuus est 50 plus annis ante *Vaillantium* natum, *apparatum hunc artificiosum in Parietaria* paucis descripsit, sine inanibus poetarum flosculis. " Parietariæ flosculi conferti circa

(a) Differt. *p.* 89.

" caulem

" caulem ex foliorum alis, floccos coccinei ſerici imi-
" tantur, primulum e nodulo emicantes: poſt ſe ſtami-
" na oſtendunt obſcure, ex alvo purpuraſcentibus api-
" culis involuta; quæ ſi ſtylo evolvere coneris, ſubſul-
" tim excuſſo pulvere cum impetu, ſpectaculo jucundo,
" ſe expandunt repanda, in medio ſeminis rudimentum
" circundantia." Ita J. B. 2. *p.* 976. Proſtat & idem apud *Moriſonum (a)*, & *Raium (b)*; quamvis *Vaillantius* ut propriam ſuam obſervationem tradat.

" *Parietariæ* hermaphroditi flores duo continentur in
" involucro plano hexaphyllo, & fœmineus flos unus,
" inter hermaphroditos ambos, ac intra involucrum." *Lin.* Gen. pl. *p.* 494. Hinc violenta hæc & ſubitanea exploſio edocere potius videtur, pulverem hunc apicum omnino inutilem eſſe germinibus, ſi non noxium. Nam ſtamina incluſa cum germinibus communi involucro, non prius pulverem ejaculantur, quam ſeſe erigendo, lobulos gemmæ, vel folia involucri expandant hinc inde; ac citius non ſe libera, & alte ſatis in aere erecta, ſupra involucrum experiuntur, quin extemplo, unoque impetu, omnem illum pulverem violentiſſime explodant & ejaculentur: ac quaſi metus eſſet, ne particula aliqua noxii hujus pollinis illabatur ſupra ſtigmata piſtillorum, ſtaminibus multo breviora, peracta exploſione, ilico florum labia vel lobuli, id eſt, involucri folia, ad ſe invicem accedant, eadem quidem quo a ſe mutuo receſſerant celeritatis impetu, veteremque formam ſtatim renovant.
" Ita quidem, addit *Vaillantius (c)*, ut difficillimum fo-
" ret credere, flores hoſce ullam vim paſſos eſſe, niſi vel
" ipſe actum hunc vidiſſet oculus, vel adhuc cerneret
" caduca ſceleta magnanimorum heroum, aliquamdiu
" erecta in campo conflictus, ubi, apluſtrium inſtar,
" jocularios experiuntur luſus volitantis zephyri." Quid hoc clarius? Qualis hæc autopſia?

53. Sed aliter ſenſiſſe videtur D. *Wahlbom*; ſaltem aliter explicat hæc verba, *Dictitat* vel *confirmat oculus:* nam ait ille, " Ita ſeſe in plantis habere dictitat primo *oculus.*
" Flore floreſcente, & polline antherarum volitante,

(*a*) H. Ox. 2. *p.* 600.
(*b*) Hiſt. *p.* 206.
(*c*) in dicti lib. *p.* 9.

"quod ſtigmati pollen inhæreat, prima fronte obvium "eſt" *(a)*. Minime tamen obvium eſt generationem ita fieri. Neque ex floreſcentia *Violæ* tricoloris, B. P. *Gratiolæ*, *Iridis*, *Campanulæ*, & *Syngeneſiarum*, alligata; aut ullis in iis obſervatis, utut obſcœne, relatis: dum ſitus antherarum, in Iride & Campanula, manifeſte oculis monſtrant, impoſſibilem eſſe pollinis ſupra ſtigmata illapſum. Sed audiamus Cl. *Linnæum* ipſum.

54. "*Generationem* vegetabilium fieri, *&c.* confirmat *o*"*culus:* Pollinem intrare germina, credidit *Morilandus*; "ejuſdem eſſentiam extrahi mediante ſtigmate madido, "ſtatuit *Vaillant*; pollinem Aceris rumpi in humore vi"dit *B. Juſſieus*; omnem pollinem in humore explo"dere auram ſeminalem, confirmat *Needham*." Ita Phil. Bot. *p.* 91. *Morlandi* ſententiam maniſeſtiſſime redarguit *Vaillantius*; qui ſtatuit ſpiritum volatilem, halitum, aut flatum pulveris, intrare tracheas tubarum per earum extremitates; ſed ne verbum de extrahenda pollinis eſſentia, aut madore ſtigmatis, apud ipſum invenio. Et ſi pollen omne in humore rumpatur, quomodo ſequitur inde illos ita explodere auram ſeminalem, non video; præcipue cum nequaquam conſtet, ſtigmata debere eſſe humore madida ad fertilitatem; & "in omnibus fere flo"ribus conſpicitur quomodo urente ſole ſeſe expandant; "veſpertino vero tempore & aere humido, floſculos "complicant, ne aqua pollen attingat & coagulet, quo "facto ad ſtigmata afflare nequit *(b)*. *Oculus* itaque nihil dictitare, nihil confirmare de generatione plantarum alligata, videtur.

55. Si præclari ſexualiſtæ obſervaſſent floreſcentiam *urticæ* urentis maximæ B. P. congruum magis ad *Vaillantii* ſententiam ſtabiliendam argumentum inde deſumpſiſſent, quam a *Parietaria*. Vix enim minuto temporis uno vel altero, poteſt quis contemplari ſterilem hanc herbam, æſtate ſerena, quin videbit frequentes & ſubitaneas pulveris apicum exploſiones. Sed hoc ſingulare exemplum; nec tale quid adhuc mirari licuit in Mercuriali, Spinacia, Cannabi, aut alia ulla ſterili planta.

56. Generationem vegetabilium fieri, ut dictum eſt,

(a) Amæn. Acad. p. 90. *(b)* Amæn. Acad. *p.* 93.

confirmat

confirmat *proportio (a)*. " Ex proportione quoque, ait " *Gesnerus (b)*, verosimiliter judicamus, cum pro ma- " gnitudine & numero seminum, ipsa quoque stamina " majora sint, vel numerosiora." Sed toto cœlo errat, ut comparando *Linnæi* Monandrias cum Polyandriis facile patebit. " Eandem dictitat secundo *proportio*. Ple- " rumque stamina & pistilla eandem ferunt altitudinem, " ut eo melius ad stigma pollen, mediante vento, acce- " dat; in quibusdam vero non, ubi singularis observatur " processus fœcundationis." Ita Sponf. plant. *(c)*. *Plerumque* sane nihil dictitat, præcipue cum in multis aliter occurrit; ut in Croco, Iride, Phalangio, Lilio, & plerisque hujus classis, ut alia taceam, ubi nullis singularis processus fœcundationis observatur: Imo e sex plantis ab auctore memoratis, ubi talis processus obtinere dicitur, tres, Dianthus, *viz.* Nigella, & Passiflora, pistilla erigunt alte supra stamina, neque curvatura ea attingunt, stigmatibus semper supereminentibus; dum interim antheris a parte inferiore dehiscentibus, pulvis tantum deorsum dimittitur vel cadit; quasi stigmata quam maxime essent devitanda, ne lædantur ab inviso polline.

Argumentum a proportione ita illustrat D. *Linnæus*. " *Proportio:* Stigmata sese flectere ad antheras, dein ex- " seri ex *Diantho, Passiflora, Nigella*, patet. Pistillum " ubi brevissimum, connivent antheræ supra stigmata: " *Saxifraga, Parnassia*. Connivent, dum efflant pol- " linem antheræ in *Celosia*. Comprimit corolla digitis " antheras ad stigmata in *Teucrio*." Phil. Bot. *(d)*. Sed quid inde? Nihil hic de proportione dictitante aut confirmante generationem fieri modo assignato. Hic causæ assignantur inæqualitatis, nulla instantia proportionis. Parum itaque refert, ita sint nec ne. Quæ de loco, tempore, pluviis, floribus nutantibus, *&c.* traduntur, facile est exemplis refellere; sed dicta sufficiant.

§ XVI.

57. Alia argumenta varia, contra doctrinam sexuum,

(a) Phil. Bot. *p.* 91.
(b) Diss. p. 90.
(c) Amæn. Acad. *p.* 90.
(d) *p.* 91.

sumuntur

ſumuntur a plantis minus perfectis; fructificatione ſubterranea & ſubmarina; ſtructura florum, vel eorum genuina conſideratione, *&c.* Quis unquam vidit antheras & ſtigmata in omnibus ſpeciebus claſſis 16 & 17. *Tournefortii* inſtitutionum, aut Cryptogamiæ *Linnæi?* Qui credere vult, " Omnes ſpecies vegetabilium flore & fru-" ctu inſtrui, etiam ubi viſus eos non detexit *(a)*, cre-" dulus ſatis videtur." Sed ad tædium evitandum plura de his addere ſuperſedeo. Præterire tamen non poſſum theſin unam aut alteram, huc quodammodo ſpectantem, & ſatis ſingularem. Ut,

58. (a) " Initio rerum, ex omni ſpecie vegetabilium " & animalium unicum ſexus par creatum fuiſſe *(b)*, " contendimus," Phil. Bot. *p.* 86. Et auctoris oratio *De telluris habitabilis incremento (c)* ſententiam explicat, rationes in medium producens, quibus inductus fuit ita credere. Nova quidem eſt doctrina, & ſpeculativa tantum. Sed huic non temere aſſentiendum, niſi monſtretur prius, quomodo vegetabilium unicum ſexus par, ſufficere potuiſſet ad paſcenda omnia animalium paria in paradiſo; & unde alimentum cepiſſent poſtea, quando *Adamus* fuit *Edene* expulſus, infelixque propter ejus peccatum factus eſt humus.

59. (b) " Harvæus vitam in circulatione ſanguinis " conſiſtere, haud immerito adſeruit. Nos ejus ſenten-" tiæ adſtipulati *vitam* per propulſionem ſpontaneam " humorum definimus. Ubi adeſt propulſio ſpontanea " humorum, ibi etiam adeſſe vitam conſtat: in vegeta-" bilibus & plantis eſt propulſio humorum: Ergo vegeta-" bilia & plantas vivere nemo non videt," Sponſ. plant. *(d)*. Hic logice arguit: ſed ſi non typographicus error, hoc ſophiſma eſt, ex quatuor conſtans terminis; *propulſio* enim, & propulſio *ſpontanea* multum differunt. Utcunque, etſi concedatur propulſionem ſpontaneam ſupponere vitam, non tamen inde ſequitur talem propulſionem eſſe vitam, cum ſit tantum effectus vitæ. Præterea, non conſtat humores vegetabilium ſemper propelli, vel in motu

(a) Fund. Bot. § 139.

(b) (Suadet ratio, Fund. Bot. § 132).

(c) Amæn. Acad. 2. *p.* 439.

(d) Amæn. Acad. *p.* 64. *&* 65.

eſſe,

eſſe, multo minus eos ſponte propelli, cum eorum motus neceſſarius ſit, & ex cauſis externis omnino pendeat; "*motuſque voluntarius in his dari nequeat.*" Phil. Bot. *(a)*.

60. (c) " Attendas etiam velim, *Calycem* eſſe ex cor- " tice plantæ exteriori; *Corollam* ex cortice interiori; " *Stamina* ex alburno nutriente; *Pericarpium* ex ſubſtan- " tia lignea; *Semina* ex medulla arboris; quippe hoc " modo collocantur, hoc itidem modo aperiuntur," Sponſ. plant. *(b)*. " Conſtat vegetabile ex *Medulla*, " veſtita *Ligno*, ſecedente a *Cortice*, inducto *Epidermide*," Phil. Bot. *(c)*. Ita arbores tantum vegetabilia dicenda. Quantum enim *Malpighius*, *Grevius*, *Raius*, *&c.* perſpicere potuerint, ſolæ arbores cortice, libro, & alburno donantur. At " nulli dubitamus, quin futura ætas " longe aliter has partes explicatura ſit" *(d)*. Quid ſit futurum inutile hic quærere; ſed hodie ſtamina oriuntur quandoque ex ſtigmate *(e)*, ſæpe e germine, ſæpiſſime ex corolla; pericarpium ex calyce, aut piſtillo vulgo, *&c.* Attendat qui vult.

61. (d) " Veteres ſibi omnino perſuaſerunt, humorem " vegetabilium a radice in truncum adſcendentem, ite- " rum deſcendere: ſed huic opinioni fortiter poſuit obi- " cem recentioris ævi Clariſſimus Phyſicus *Hales*, qui " humorem hunc a radice per truncum ad ramulos de- " latum, neutiquam *recedere*, ſed per tranſpirationem " foliorum in auras egredi, demonſtravit," Sponſ. plant. *(f)*. At mentem Cl. *Hales* non videtur attingere: admittit enim ille, ſuccum quodammodo recedere a ſummitate plantarum, verſus partes inferiores; quod experimenta quæ tradit clare monſtrant *(g)*: quibus ſi addantur obſervata de lachrymatione vitis, *&c.* aliqualem quaſi circulationem probabilem ſatis reddunt.

Vidimus etiam palmitem, e vite ſub dio creſcente, per foramen in hypocauſtum deductum, medio Martio, læte

(a) *p.* 93.
(b) Amæn. Acad. 1. 104.
(c) *p.* 37. *Vid.* etiam *p.* 52. *&* Fund. Bot. § 86.
(d) Sponſ. pl. Amæn. Acad. 1. *p.* 70.
(e) *Vid.* No. 37. ſupra.
(f) Amæn. Acad. p. 65.
(g) *Vid.* ejus ſtatica, vol. 1. c. 4. *p.* 128. ad 155. & præcipue fig. 22. 24. 25. 27. 28. *&* 29.

ſurcularem,

ſurcularem, imo racemis florentibus onuſtum, quæ ante finem Junii, ut audivimus, fructu maturuit; id eſt, tribus menſibus ante ſolitum tempus vitium, in loco maxime aprico horti creſcentium. Cl. etiam *Linnæus* ipſe ait, " Cor plantis nullum, ſed calor efficit omne; nec opus " eſt corde, ubi nec perpetui mobilis effectus neceſſarius " eſt, & ubi propulſio, non circulatio humorum" (*a*). Sed quomodo calefactio ſingularis rami, radice in frigida terra remanente, fructificationem ejus ita accelerare valeat, ſine circulatione, concipere non poſſum.

62. De uſu ſtaminum variæ ſunt conjecturæ. " Flo- " res, ait *Pontedera* (*b*), qui calyce tantum & ſtamini- " bus apices ſuſtinentibus inſtruuntur, pro floribus ha- " bendos minime judico, cum flores fœcundi iis ſæpe ca- " reant. Sunt tamen neceſſarii, & apprime utiles, in " quibus floribus reperiuntur, quamvis a fructu longe " inſideant; ut in Amentaceis, Mays, Lacryma Job, " Ricino, Typha, Sparganio; quoniam reſinoſus ille " & volatilis ſuccus, per amenti petiolum, ad fructum " defertur. In ſterilibus autem plantis, uſum ignorare " perlibenter fatebor." Sed flores ex calyce & ſtaminibus tantum conſtantes in ſterilibus, certe æquo jure flores ſunt habendi, ac tales in fertilibus plantis. Vide ſupra quæ *Cæſalpinus* habet, & *Raius* (*c*). Forte, ex ſupra obſervatis de *Parietariæ* pulvere, concludi poteſt, pulverem hunc eſſe plane parenti inutilem; forte noxium eſſe, & ideo quodammodo conferre ad varietatem florum, fructuum, *&c.* productionem; quæ varietates morboſæ ſæpius ſunt. Forte inſectorum gratia producitur: nam quid conferat pulvis plantæ, v. g. Cannabis ſterilis, ad Cannabim fructiferam, non conſtat, nec forte unquam conſtabit.

§ XVII.

63. Operæ prætium haud eſſet contra ſexum plantarum arguere, niſi anſam præbuiſſet fabricationi Syſtematis, vel Methodi plantarum, ſexualis dictæ, omnium

(*a*) Phil. Bot. *p.* 88. *&* 91. (*c*) No. 40.
(*b*) Diſſert. 3. *p.* 51.

quotquot

quotquot ſunt eſt maxime involuta, ac nonnaturalis. Nullum enim ſyſtema datur, orthodoxum ſit an heterodoxum, in quo plura diſſimilia conjunguntur, & ſimilia ſeparantur; et cujus notitia, ob introductam dialectum Græcis æque ac Latinis ignotam, ob mutatas ſolute vocum nominumque familiares ideas, difficilius acquiritur. Auxilio enim *Tournefortii* Inſtitutionum, & horti plantis methodo ſua digeſtis bene inſtructi, earum cognitionem, multo citius & facilius, (imo ſine præceptore), acquiret Tyro, quam nomenclaturam *Linnæanam* vel mediocriter intelligat, adjutus etſi Cl. *Geſneri* explicationibus, Sponſalibus Plantarum, & Philoſophia Botanica, *&c.*: dum ſecundum ſyſtema ſexuale, ubi arbores cum herbis confunduntur, *Syntaxis* plantarum methodica in horto ſit impoſſibilis. Licet enim parum referat quænam genera ſe invicem proxime excipiant in ſyſtemate ſcripto, in vivo tamen aut plantario longe aliter res ſe habet, dum nocent ut frugibus umbræ, ſic herbis fere omnibus.

" Botanico, inquit Cl. *Linnæus (a)*, neceſſaria ſunt, (a) " Bibliotheca pretioſiſſima ob tabulas æneas. (b) Libri fere omnes, qui unquam prodiere. (c) Hortus " plantis vivis inſtructiſſimus, cum variis ſuis hybernaculis, hypocauſtis. (d) Commercia literaria per totum " fere orbem. (e) Itinera in varias diſſitas regiones. " (f) Sumptuoſa educatio in pingendo, ſtudendo, perlegendo, evolvendo; quæ tamen omnia, niſi natus ſit " Botanicus, vel acerrimo gaudeat ingenio, felicem Botanicum nunquam conſtituunt." Felix itaque Botanicus erit rara avis in terris; ſed miſera felicitas! Nam additur, " Cum quis demum Botanicus exiſtat, nullum " inde lucrum, nullos reditus exportat: pauca & munera, quæ eum vocent, occurrunt." Si itaque tam parum vel nihil commodi pro tantis laboribus, quis ſanæ mentis rem herbariam hoc modo excolet, aut Botanicum *felicem* eſſe affectabit? Utcunque,

64. Botanice eſt longa, & difficilis ſine Methodo ſcientia. Syſtema ergo quodcunque, naturale ſit an artificiale, quod eam nec facilitat nec contrahit, eſt plane inutile; imo, ſi introducat varia nova nomina, ſine neceſ-

(a) Crit. Bot. *p.* 73.

F ſitate,

ſitate, aut non prius audita technica vocabula, omnino damnoſum. Ita enim, ut loquitur magnus *Boerhaavius*, *(a)*, cura artis gravis, cura nova aggravatur, efficiturque difficilibus nugis, ut ſtulta appareat difficiliſque Botanice.

Præclarus *Syſtematis ſexualis* auctor nunquam ita peccaſſet, ſi non in juventute præmature de blanda hac theoria generationis præoccupatus eſſet. " Singularis, " ait, Staminum & Piſtillorum ſtructura, & inſigne officium, animum allicuit meum, ut in his inquirerem " quid condiderat natura. Commendabant ſe munere " quo fungebantur, quum his ſolis omnis plantarum " propagatio innitebatur. *Flos* enim nil *eſt* niſi *actus generationis* plantarum" *(b)*. Singularis quidem floris definitio! Nunc organa genitalia dicitur, nunc actus generationis; quam philoſophice!

65. Nomina generica ſæpiſſime ſine ulla neceſſitate mutata eſſe, in Syſtemate ſexuali, contendo; & regulas quas ſibi præſcripſit auctor in Fundamentis Botanicis, omnino arbitrarias, ut plurimum inutiles, & haud raro ſeducentes. Nam,

1°, Nomina antiqua, quæ *vaga* vocat, ſæpius longe aliis plantis applicat, quam omni ævo deſignarunt. Ita ex. gr. (a) *Glechoma*, quod habet inter nomina antiqua recepta *(c)*, pro *Glechon*, puto (nam *Glechoma* apud antiquos non invenio), quod Græcum Pulegii nomen ab ipſo *Hippocrate* uſurpatum, genericum facit nomen Hederæ terreſtris, vulgaris, B. P. aliis ſynonymis ſatis dignis, Chamæciſſus ſcilicet & Chamæclema, non obſtantibus *(d)*. (b) *Bubon*, etiam eſt inter antiqua recepta *(e)*. Sed apud antiquos non plantam, ſed inguen, aut tumorem denotat *(f)*. *Bubonium* itaque dixiſſet; & hoc Inguinalem denotare ſolebat; at Cl. *Linnæo*, Petroſelinum Macedonicum Dod. eſt ſpecies Bubonis. (c) *Gomphrena*, quid ſignificat non ſcio; neque apud Græcos nec Latinos invenitur, etſi annumeratur an-

(a) Ind. præf. *p.* 15.
(b) Syſtem. pl. *p.* 441.
(c) Crit. Bot. *p.* 121.
(d) *Vid.* Fund. Bot. § 244.
(e) Crit. Bot *p.* 121.
(f) *Vid.* Fund. Bot. § 231.

tiquis

tiquis receptis *(a)*. Forte *Gomphænam* intelligit, quæ, apud *Plinium,* Amaranti speciem, non Amaranthoïdem recentiorum significat. Verbo male applicantur, vel in alienum sensum detorquentur, *Andrachne*, *Anthericum*, *Aizoon*, *Atractylis*, *Comarum*, *Bunias*, *Elatine*, *Erigerum*, *Melia*, *Hibiscus*, *Trichomanes*, *Asplenium*, *Myrica*, *Melampodium*, *Psidium*, *Peganum*, *Carica*, & centena alia *(b)*. Ex tali nominum confusione, quot errores in rei herbariæ & linguarum studio, imo in ipsa medicina, ortum ducant, facile est providere. Attamen,

66. 2°, Rejicit nomina sæpe usitatissima, non aliam ob causam, nisi quod nec Græcæ nec Latinæ sint originis; *(c)* satis inepte: cum & Græca & Latina nomina sæpe adscita sint ab exteris, aut Barbaris; qualia sunt *Amomum*, *Piper*, *Macir*, *Zingiber*, *Pistacia*, *Cassia*, *Costus*, *Balsamum*, *Isatis*, *Nardus*, & alia plurima: nec refert quidem, sint *Lapponicæ*, *Sinensis*, aut *Americanæ* originis, modo non difficilis valde pronuntiationis, nec castis auribus molesta. Sine causa ergo rejiciuntur, Adhatoda, Acajou, Alhagi, Alkekengi, Azedarach, *&c.* ut vernacula, vel alias a *Tournefortio* usurpata; exceptis forte, Menyanthe, Jalapa, Ephemero, Xiphio, Thuya, male applicatis. "Etymologiæ enim vis parvi facienda videtur hac in "re; cum certum sit, non generis ipsius, sed unius "tantum speciei, quam rei sibi notæ comparabant, ra"tionem habuisse, qui primi nomina imposuerunt" *(d)*.

67. 3°, Damnat etiam Clarissimus auctor nomina *sesquipedalia*, & etiam nomina *nauseosa (e)*. "Ego di"co, sesquipedalia nomina, quæ plures quam duode"cim includunt literas" *(f)*; ut *Anapodophyllum*, *Staphylodendron*, *Bulbocastanum*, *Chamærhododendros*, *Amaranthoïdes*; etsi faciem vel habitum plantarum, vel partis alicujus, melius exhibeant, quam Podophyllon, Staphylæa, Bunium, Azalea, Gomphrena *(g)*; retineatque Ceratophyllum, Chrysosplenium, Dracocephalum, Me-

(a) Crit. Bot. *p.* 121.
(b) *Vid.* Crit. Bot. *p.* 119. ad 123.
(c) Fund. Bot. § 229.
(d) T. *p.* 61.
(e) Fund. Bot. § 249.
(f) Crit. Bot. *p.* 134.
(g) *Vid.* Fund. Bot. § 240.

ſembryanthemum, Tabernæmontanam, Tetragonothecam, Trichoſanthen.

" *Nauſeoſa* vel *nauſeabunda* dico vocabula, ait, quæ " nullam cum reliquis in Botanicis ſervant ſimilitudi- " nem, ſed toto cœlo diverſa & aliena ſunt, nobiſque " quaſi barbara videntur. Nauſeoſa ſunt, *Ballote, Le-* " *ontopetalon, Siliquaſtrum*" *(a)*. Hic haud vulgariter Criticum agit. Vocabula Græca & Latina illi quaſi barbara videntur; & loco Ballotes & Leontopetali, quæ apud *Dioſcoridem* & *Plinium* occurrunt, ſcribit Ballotam & Leonticen; & Siliquaſtrum Plinianum nomen, mutat in Cercin; dum Leontice ſit Cacalia, & Cercis Populi ſpecies. Excuſatius certe nauſeoſa vocaſſet *Clitoriam, Cynomorium, Lycoperdon, Onopordum, &c.* Vid. quæ habet de ſimilitudine in nomine ſpecifico aſſumenda, *Phil. Bot. p.* 234.

68. 4°, " Nomina generica ex duobus vocabulis in- " tegris & diſtinctis facta, e Republica Botanica relegan- " da ſunt," Fund. Bot. § 221. *(b)*. Ergo *Roſmarinus, Aſtaphiſagria, Centaurium majus & minus, Jovis barba, Fœnum græcum, Sempervivum*, & ſimilia. At ex gratia dicit *(c)*, " Admiſimus nonnulla vocabula Latina, ſed " non ideo in poſterum imitanda ſunt; uti Cornucopia, " Roſmarinus, Sempervivum, Sanguiſorba." Sed ſententiam irrevocabilem fert contra Bellam donnam T. (ſcribitur a T. Belladona, uno vocabulo), Centaurium majus, Dentem leonis, *&c.* *(d)*. Rationem dat *(e)* ita, " Numerus nominum genericorum antea ſat magnus eſt, " & pro memoria minus præcellenti quidem ſufficiens, " ut entia præter neceſſitatem ullam multiplicari nulla " re opus ſit. Quid quæſo opus ſit duobus verbis, ubi " unum ſufficiat? Stultum eſſe agere per plura id, quod " æque bene fieri poſſit per pauciora, agnoſcit ſana ra- " tio; at hic ergo. Æque difficile memoriæ tabulæ in- " ſcribitur verbum poſterius ac prius, *Donna*, ac *Bella*; " *Idæa*, ac *Vitis, &c.*" Ubi *indigna* vocantur, Belladona, Burſa paſtoris, Centaurium minus, Dens leonis,

(a) Crit. Bot. *p.* 134.
(b) Vid. & § 222.—236.
(c) Phil. Bot. *p.* 161.
(d) Phil. Bot. *p.* 160.
(e) Crit. Bot. *p.* 23.

Fœnu-

Fœnu-græcum, Lilium convallium, aliaque viginti a T. usurpata, quæ ut plurimum sunt officinalia, atque ideo memoriæ tabulæ necessario magis ac facilius inscribenda, quam ejus ficta, ut Atropa, (ab "Atropos, una furia-"rum," H. Cliff. p. 57. Phil. Bot. 171.), Leontodon, ingrate succussans; Convallaria, adjectivum, &c. Quis itaque multiplicat entia sine necessitate, T. aut L.?

69. In summa, quicunque sedulo ponderat quæ de nominibus genericis plantarum mutandis tradit præclarus hic auctor *(a)*, facile videbit illum gradu pleno incedere in integram rei herbariæ innovationem. Nullum enim datur nomen plantæ medicinale, Græcum aut Latinum sit nec ne, quin ut *barbarum*, *compositum*, *diminutivum*, *enunciatu difficile*, *hybridum*, *indignum*, *pathologicum*, vel *non bonum* aliis multis modis, æquo jure damnari possit, aut mutari, ac alia ab eo mutata sunt, quorum specimina tantum dedimus. Quod si fiat, actum erit de materia medica antecessorum; confusis enim nominibus, omnia confundi necesse est. Principiis obstandum.

§ XVIII.

70. Inter alia grandia Cl. *Linnæi* merita, celebrata a D. *Petro Lofling (b)*, haud parum jactatur de terminis vagis propriis sedibus alligatis, novisque ab eo introductis. Inter terminos vagos, invenio *Scapum*; sed quid est Scapus? "Est trunci species, & vel nudus, vel foliatus," Fund. Bot. *(c)* edit. 1. At "*Scapus* nobis est trunci "species, quæ e radice exsurgens, solas fructificationes, "sine ramis vel foliis (nisi ad radicem positis), sustinet," Fl. Lap. *p*. 8. "Cl. *Linnæus* quod nos caulem dicimus "*Truncum* vocat; cujus tres differentiæ: 1°, *Caulis*. 2°, "Culmus. 3°, Scapus, trunci species, ex radice surgens, "solam fructificationem sine ramis & foliis sustinens," *Gesn*. Dissert. *p*. 67. Ita dilucide explicatur ab utroque; sed quomodo conveniunt cum Fundamentis Botanicis citatis ab utrisque non video: præcipue cum habeamus Anchusam scapis diphyllis, H. Cliff. 47.; Hemerocal-

(a) Fund. Bot. § 220. ad 250. & alibi.

(b) Amæn. Acad. 2. *p*. 183.

(c) § 82.

lem

lem ſcapo *ramoſo*, corollis monopetalis, H. Upſal. *p*. 88.; & Tulipa ſcapo *triphyllo*, foliis ovato lanceolatis, ibid. *p*. 82. Hæc non bene cohærent.

Mutanda itaque eſt ſententia; & Scapus non amplius trunci ſpecies dicendus, ſed *fulcrum*. Nam in Fund. Bot. edit. *Paris*, in 1744, "*Truncus* eſt radix ſupra "terram; iſque duplex eſt, *Caulis*, *Culmus*" *(a)*. Et infra *(b)*, "*Fulcra* plantarum ſunt novem, Bractea, "Cirrus, Spina, Aculeus, Petiolus, Pedunculus, *Scapus*, "Stipula, Glandula.——*Scapus* fructificationem gerit, "radici (non trunco) innatus." Sed ita Culmus etiam eſt fulcrum; quid ni & Truncus? cum ſit niſi radix ſupra terram, & ſuſtineat geratque fructificationes. Sed neque hæc placent adhuc. Hinc,

In Phil. Bot. "*Truncus* folia & fructificationem pro- "fert; ſpecies ejus ſunt vi. Caulis, Culmus, *Scapus*, "Pedunculus, Petiolus, Frons, Stipes; at Ramus pars "eſt" *(c)*; & infra *(d)*, "*Scapus*, eſt Truncus uni- "verſalis, elevans fructificationem, nec folia; *Narciſ-* "*ſus*, *Pyrola*, *Convallaria*, *Hyacinthus*." Sed quid tum dicendum de *Hemerocallide* & *Tulipa* ſupra citatis? imo de *Convallaria* foliis alternis, pedunculis axillaribus unifloris, Lin. M. M. *(e)*? Utcunque *Scapus* ita é numero Fulcrorum excluditur. Et *(f)* "*Fulcra*, ait, ad- "minicula plantæ ſunt, pro commodiore ſuſtentatione; "numerantur *hodie* vii. *Stipula*, *Bractea*, *Spina*, *Acule-* "*us*, *Cirrus*, *Glandula*, *Pilus*." Sed heri numerabantur novem, (viz. in Fund. Botanicis editis 1744), & nudiuſtertius *(g)*, tantum ſex; & quis ſcit quot erunt die craſtino? Ad hæc, quam apte, quam eleganti Latinitate dicendæ ſint frondes trunci; trunci, radices, &c.? Inſtabilis ergo ſatis eſt ſedes cui alligatur *Scapus*; quod de aliis nonnullis verum etiam eſt. Nam,

71. "*Bacca*, *Geſnero* *(h)*, eſt pericarpium, cujus "ſemina in molli pulpa hærent; eaque vel infiguntur "pulpæ, ut in *Fragaria*; vel teguntur pulpæ ſubſtantia,

(a) § 82.
(b) § 84.
(c) *p*. 39.
(d) *p*. 40.
(e) *p*. 56.
(f) Phil. Bot. p. 50.
(g) Fund. Bot. edit. 1736.
(h) Diſſert. *p*. 101.

"ut

" ut in baccis Uvarum." At *Linnæo (a)* fragariæ pericarpium nullum; & Xanthii *(b)* pericarpium ſiccum. " *Bacca (c)*, eſt Pericarpium farctum evalve ſemina " cæteroquin nuda continens." At Capſici Pericarpium eſt bacca ſine pulpa, bilocularis, *cava*, ſecundum Gen. plant. *(d)*. Imo ibi *(e)* Juglandis Pericarpium eſt *Bacca* ſicca, & *ſemen* Nux; ac ideo *Drupa* (vel Druppa potius) dicendum, cum ſit " *Drupa* pericarpium farctum evalve, nucem continens" *(f)*. Quam multiplex eſt bacca, cum Pericarpium, Rhois, Solani, Cyclaminis, Meſpili, Aurantii, Ananæ, *&c.* ita vocetur?

72. *Strobilus*, ait *Geſnerus (g)*, eſt fructus ex ſquamis " imbricatim compoſitis formatus, in quarum ſinu ſive " angulo ſemina hærent." Sed *Linnæo (h)*, *Strobilus* eſt Pericarpium ex *Amento* formatum. Et " Amentum " *(i)* eſt calyx ex receptaculo communi paleaceo-gem- " maceo." At in Gen. plantarum characteribus *Strobilum* non invenio ut Pericarpium, excepto ſolius Magnoliæ, ubi nullum *Amentum*, ſed calyx Perianthium triphyllum, Petala novem, & pericarpium *Strobilus* ovatus: dum Abietis, Alni, Betulæ, Carpini, Cupreſſi, Laricis, Lupuli, Tulipiferæ, pericarpium nullum. Occurrit hic terminus in denominationibus ſpecificis, ſed rariſſime; niſi ter enim obſervavi in H. Cliff. viz. Carpinus ſquamis ſtrobilorum planis; & C. ſquamis ſtrobilorum inflatis *(k)*, ac Thuja ſtrobilis lævibus, ſquamis obtuſis *(l)*.

Capſula Geſnero (m) eſt Pericarpium membranaceum ſubrotundum, ut in Auricula urſi. At *Linnæo (n)* eſt Pericarpium cavum, determinate dehiſcens. Sed *Epilobii* pericarpium *(o)* eſt " *Capſula* longiſſima, cy- " lindracea, ſtriata, quadrilocularis, quadrivalvis:" nec ſubrotunda, nec cava, nec determinate, ſed tota longitudine, dehiſcens. Quam dilucide *explicantur E-*

(a) Gen pl. *p.* 220.
(b) *p.* 452.
(c) Phil. Bot. *p.* 53.
(d) *p.* 84.
(e) *p.* 460.
(f) *p.* 53.
(g) Diſſert. *p.* 101.
(h) Phil. Bot. *p.* 53.
(i) Ibid *p.* 52.
(k) *p.* 447.
(l) *p.* 449.
(m) *p.* 101.
(n) Phil. Bot. *p.* 53.
(o) Gen. pl. *p.* 162.

lementa

lementa Botanica Linnæi, a *Gesnero*, aut *Linnæo* ipſo! Mirum quod talia Botanicis arrideant!

« Ex Cel. *Linnæi* generum characteribus, ait D. *Lo-*
« *fling (a)*, graphice & ſecundum omnes fructificationis
« partes delineatis, hodierni, tantum non omnes Bota-
« nici, novas ſibi formarunt methodos; quod quidem
« adeo nunc unicuique eſt facile, ut ante eum fuerit dif-
« ficile & arduum. Non ſolum enim multos terminos
« vagos propriis ſedibus alligavit; verum etiam plane
« novas partes novoſque terminos introduxit, ut *Necta-*
« *rium, Drupam, Fulcram, &c.* quæ ante eum non di-
« cta erant, quamvis hodierni iiſdem ſuperbiant Botani-
« ci; quis hiſce deſtitutus, plantæ perfectam hodie tra-
« deret deſcriptionem." Ita *Linnæi* diſcipulus, vel *Lin-*
næus ipſe.

Sed venia auctoris longe aliter ſentiendum. Nam non ſolum, non minus damnoſum eſt rei herbariæ ſtudio, novas ſine neceſſitate fingere methodos, quam nomina & terminos inutiles; ſed etiam æque difficile, imo longe difficilius, ex characteribus illis, utut graphice delineatis, novam & ſimul utilem formare methodum, ut ante eum fuerit.

74. Nam circa generum characteres tria præcipue obſervanda ſunt. 1°, Notas characteriſticas generum non ſine neceſſitate multiplicandas eſſe, nec plures, quam quibus opus eſt ad genus certo determinandum coacervandas; ne ſcilicet memoria nimis oneretur, & pro notis characteriſticis deſcriptionem plantæ adferre videamur. 2°, Notas charaſteriſticas in omnibus ſpeciebus ejuſdem generis, apprime ſimiles eſſe debere; & partes fructificationis, in quibus omnes ſpecies non conveniunt, omittendas. 3°, Eas ſatis obvias eſſe debere, manifeſtas, & cuilibet ſatis obſervabiles. Nam cum methodi uſus præcipuus ſit, rudes & tyrones in ſtirpium cognitionem, compendio, abſque tædio & difficultate, inducere, non oportet ejuſmodi notas proponere, quæ attentum & ſolicitum requirunt ſpectatorem, cuique ut microſcopium ſecum circumferat, neceſſarium ſit *(b)*.

(a) Amæn. Acad. *p*. 183.

(b) Vid. T. 50. & R. Regulas Meth. pl. præfixas.

Hanc

Hanc ultimam regulam *Raium* perperam ſcripſiſſe notat Cl. *Linnæus (a)*, ſuadetque omnes partes fructificationis examinandas eſſe, etiam quæ viſum eludunt, quamvis microſcopium adhiberetur. Agnoſcit tamen, quod nullus character infallibilis ſit, antequam ſecundum omnes ſuas ſpecies directus ſit. Additque, " Fit character " naturalis accuratiſſima deſcriptione fructificationis pri- " mæ ſpeciei; omnes reliquæ ſpecies generis conferantur " cum prima, excludendo notas diſſentientes omnes, " tandem elaboratus evadat" *(b)*. Sed,

75. Characteres *Linnæanos* non eſſe elaboratos agnoſcit auctor; " Raro, inquiens, obſervatur genus in quo ali- " qua pars fructificationis non aberrat," Fund. Bot. § 170. Additque in Phil. Bot. *(c)*, " Niſi canon aſſume- " retur, tot genera evaderent, quot ſpecies exiſtunt." Sed ſi regulam 1. ſupra datam obſervaſſet, canon hic inutilis eſſet, & aberratio ſpecierum fere nulla. Cujus rei conſcius jam ipſe videtur: nam in Syſt. naturæ præfatione, " Plantarum generibus, ait, adſignavi novos, " eoſque compendioſiſſimos *characteres*, ubi non ſemper " licuit eſſentiales, ut tyrones ea facilius diſtinguerent & " dignoſcerent." Ac ideo, multo utilius eſt contractum hoc ſyſtema iis quos juvat methodus ſexualis, quam diffuſi characteres de quibus gloriatur D. *Loſling*. Sed infelix illa methodus perturbat omnia.

76. Numerus enim ſtaminum, admodum varius, indagationem generum difficillimam reddit, imo tyroni haud raro impoſſibilem. Quis quæſo Tamariſcum Germanicam B. P. ſibi ignotam, cui decem ſunt ſtamina, contemplatus, adiret claſſem quintam, aut Pentandriam, pro ejus charactere? Quis Valerianæ rubræ Dod. characterem quæreret in claſſe tertia, ſeu Triandria? Gratiolæ centauroïdis B. P. in Diandria? Aut Rhodiæ radicis B. P. in claſſe vigeſima tertia, Polygamia dicta, inter Fraxinum & Empetrum; aut ab Anacampſerote ſeu Sedo *Linnæi* ſepararet; vel Sedum ipſum a Sempervivo? Et ſic de innumeris aliis. Hinc evidenter conſtat, genera, omnia ſaltem, non eſſe naturalia; vel ſi naturalia

(a) Phil. Bot. *p.* 131.
(b) Phil. Bot. *p.* 131.
(c) *p.* 121.

ſint

ſint dicenda, ut ſæpe aſſerit Cel. *Linnæus (a)*, convenientia in omnibus fructificationis partibus minime requiritur ad ea conſtituenda, & male ab ea conſtituta ſunt. Verum cur naturalia ſint dicenda genera, magis quam claſſes & ordines, adhucdum non video.

§ XIX.

77. Si Cel. *Linnæus* decimam temporis partem in fabricandis ſyſtematibus, novis nominibus, *&c.* contriti in *Moriſoni*, *Raii*, aut *Rivini* methodum emendandam impendiſſet, emolumenti plus bonæ arti attuliſſet. Inventio enim ſyſtematis ſexualis vix digna videtur Cl. *Burckhardo*, aut operæ pretium ut de ea contendat Cel. *Heiſterus*, in erudita ſua ad epiſtolam *Burckhardi* præfatione: qua de methodi plantarum inventoribus agit, quod epiſtolæ auctor inventor ſit *Methodi ſexualis* oſtendit *(b)*, ejuſque una cum *Joach. Camerarii*, & *Joach. Jungii* merita celebrat, huc uſque vulgo neglecta; aliaque ad rei herbariæ hiſtoriam illuſtrandam proponit.

Hic § 52. hæc habet. " Præcipue autem poſt *Jungium* " circa ſexum plantarum diſquirendum ulterius occu" pati fuere *Malpighius*, itemque *Menzelius*, aliique; po" ſtea vero omnium planiſſime *Rud. Jac. Camerarius* " (1694); item *Burckhardus* (1702), *Waldſchmidius* " (1705), *Gakenholzius* (1706), & diu demum poſt hos " *Vaillantius Gallus* (1717), horum anteceſſorum ſuo" rum præſtantiſſimorum nominibus, neſcio quam ob " cauſam, prorſus ſuppreſſis, ſcribendo & loquendo de " eo, quaſi hæc res prorſus novi & inauditi quid eſſet." Vid. Præf. *p.* 70. Sed bonus hic dormitat *Homerus*.

78. Nam, 1°, ſuppreſſit ipſe, prorſus ſine cauſa, nomen *Grevii*, qui an. 1676, & primus omnium, nuperam de ſexu plantarum ſententiam tradidit, & ſatis diſtincte explicuit; ut & *Raii*, qui primus, quantum novi, *Grevii* ſententiam amplexus eſt. Dum ſcribat & *Burckhardus* ipſe, " Hic diſſerere conſtitui, an ex partibus iſtis, *quas* " *ab officio genitales dicturus ſum*, plantarum comparati-

(a) Vid. Gen. pl. præf. *p.* 2. Syſt. nat. *p.* 216. Fund. Bot. § 160.

(b) p. 76. 84.

" ones

" ones instituí possint" *(a)*: cum a *Grevio* multo prius ita dictæ sint. 2°, *Malpighius* non modo non admittit sexus distinctionem; sed etiam credere videtur petala & stamina quasi emunctoria esse, & in incongrui humoris depuratione tantum versari *(b)*: neque *Jungius*, ni fallitur *Camerarius*, ita scribens, " Utraque generationis hi-" storia idem fere fatum experta, & a modernis succes-" sive & pedetentim expolita fuit, cum quod *Harveus*, " *Steno*, *Suammerdam*, in animalibus, *Grewius* & alii " in plantis simul observarint. Quid ergo vetat quo mi-" nus, *invito licet Jungio*, maris & fœminæ, ac conse-" quenter sexus discrimen, proprie tribuamus plantis; eo-" que magis quod ex antiquorum monumentis, *Aristote-" lis* scilicet & *Theophrasti* scriptis, hujus sententiæ vesti-" gia observarit auctor, ut in appendice secundo ex pro-" fesso docet." Ita *Camerarius*, ut a *Valentino* *(c)* citatur.

3°, *Camerarius* ipse de hac doctrina dubitat; imo experimento refellit; Mercurialis enim, Spinachiæ, & Canabis fœmellas solitario, absque vicini maris contagio excultas, plurima granula seminaque fœcunda obtinuisse vidit. Et ideo licet deprehensum esset experimentis, quod " si Antheræ, simul ac flores se aperiunt, resecan-" tur, flores illos fructum sive semina non producere" *(d)*; (quod tamen verum non est); nequaquam inde sequitur has esse revera organa genitalia; ut supra (N° 43.) monstravimus.

§ XX.

79. Summis tamen laudibus afficiendus est Cl. *Linnæus*, duplici præcipue de causa. 1°, Quod plantarum species ab earum varietatibus, accuratius quam ullus Botanicorum distinguat. 2°, Quod specificas denominationes, non ab accidentibus loci, temporis, inventoris, usus, &c. ut moris est, desumat, sed a partibus plantarum essentialibus, quibus congeneres revera inter se differunt. " Re-

(a) Epist. *p.* 146.
(b) *Vid. p.* 70.
(c) l. c. No. 41.
(d) *Vid.* Heist. præf. *p.* 72.

" posui, ait *(a)*, sub singulis speciebus varietates, ausu " licet audacissimo, dum a coætaneis, ne dicam omnibus, " varietates privilegio specierum muniantur" *(b)*.

Cavendum tamen etiam ne in oppositum deviantes extremum, species pro varietatibus sumantur: Scylla hæc non minus quam Charybdis vitanda. An itaque pro varietatibus sint habendæ omnes *Tournefortii* Pæoniæ; Lapathum folio acuto rubente B. P. & Lapathum aquaticum, folio cubitali ejusdem; Convolvulus major albus B. P. & Scammonia Syriaca ejusdem; Rhabarbarum T. & Lapathum folio rotundo alpinum J. B.; Sorbus sativa B. P. & Sorbus aucuparia J. B.; Euonymus vulgaris B. P. & Eounymus latifolius ejusdem; Cerasus sylvestris, fructu nigro J. B. & Cerasa acida nigricantia solidiora tardius maturescentia ejusdem, & aliæ nonnullæ, ut vult Clarus H. Cliff. auctor, merito dubitandum. Omnem enim diversitatem in plantis, satis notabilem, modo stabilis sit, seu a cultura nec orta, nec mutabilis, pro differentia specifica semper habui; id docente Cl. *Raio*. " Nobis " diu, ait, multumque indagantibus, nulla certior occur- " rit specificæ (ut vocant) distinctionis nota, quam dis- " tincta propagatio ex semine. Quæcunque ergo dif- " ferentiæ ex ejusdem plantæ semine oriuntur, acciden- " tales sunt, non specificæ. At quæ ex eodem specie se- " mine nunquam proveniunt, eæ demum specificæ cen- " sendæ sunt" *(c)*. Attamen haud raro ab hac regula ipse aberrat; & *Tournefortius* plane agnoscit, se parum curare, utrum varietates sint an species, quarum mentionem facit, modo affectionibus quibusdam sensibus obviis differant.

80. " Nomina specifica, ait *Linnæus (d)*, ubique ad- " posui nova, cum antiqua vix ullibi darentur digna. " Non eo processi, ut credam omnia mea tam præstantia " esse nomina specifica, quin longe breviora, certiora, " aptioraque demum confici queant: debui tamen potius " anceps experiri Botanices remedium quam nullum, ubi " unica hac via salus est speranda." Et alibi *(e)*, " No-

(a) Præf. in. H. Cliff.
(b) *Vid.* Fund. Bot. § 256. ad 305.
(c) *Vid.* R. H. *p.* 40.
(d) l. c.
(e) Fund. Bot. § 258.

" men

" men ſpecificum, primo intuitu, plantam ſuam maniſe-
" ſtabit, cum differentiam ab omnibus congeneribus
" ipſi plantæ inſcriptam contineat." At hanc differentiam concinne & breviter exprimere verbis, inceptum eſt ſatis arduum, & *Linnæo* vere dignum At cavendum etiam hic, quando numeroſæ ſunt ſpecies alicujus generis, ne loco nominum deſcriptiones tradantur. Hinc *Linnæus*, " Numerus vocabulorum quæ in differentia adhibentur,
" nunquam ultra duodecim vocabula admittat: quemad-
" modum nomina generica duodecim ad ſummum lite-
" ris conſtabunt, ita & differentia duodecim vocabulis,
" ut limites tandem ſtabiliantur." Dein calculo (quem non intelligimus) monſtrare nititur, quod etſi genus ſit centum ſpecierum, quem numerum attigiſſe nullum genus novit, duodecim vocabula ad ſummum vix unquam neceſſaria eſſe, pro differentia generis centum ſpecierum. " Horrenda itaque, addit, ſunt nomina ſpecifica *veterum*
" ſeſquipedalia, quæ deſcriptiones loco differentiarum ſi-
" ſtunt;" ac tria exempla citat, duo e *Plukenetio*, & unum e *Breynio*, qui recentes ſatis veteres ſunt *(a)*.

81. Sed duodecim vocabula requiri ad differentiam ſpecificam, ubi numerus congenerum centenario multo minor, exemplo patebit. *Cataputia* officinarum eſt *Tithymali* ſpecies *Moriſono*, & omnibus exinde ſyſtematicis, ante Ill. *Linnæum*, qui Tithymalo, aut Tithymallo, ab *Hippocrate* ipſo uſurpatis, Euphorbiam, nomen multo recentius, præfert. Cataputia hæc eſt *Tithymalus* latifolius, Cataputia dictus, H. L. 599. T. 86. *Euphorbia* inermis, foliis oppoſitis lanceolatis, umbella univerſali trifida polyphylla, partialibus triphyllis, reliquis diphyllis, H. Cliff. 198. Vel *Euphorbia* inermis, foliis oppoſitis lanceolatis, umbella univerſali quadrifida, tetraphylla, *(ulterioribus dichotomis)*, H. Upſal: 140. reliquis dichotomis, Lin. M. M. 90. Adeoque in uno ſunt tredecim, in alio undecim vocabula; vel potius octodecim vocabula ſimplicia in priore, & quindecim in poſteriore: etiamſi Euphorbiæ ſpecies quadraginta auctor non admittat. Hæc itaque ſeſquipedalia nomina; neque multum horrenda ſunt *Plukenetiana*, ſupra memorata, etſi *Linnæanis* minus

(a) *Vid.* Phil. Bot. *p.* 228.

accurata:

accurata: firma tamen erit memoria quæ hæc retinebit.

Hinc jam admittit nomina ſpecifica ſatis brevia, quæ *Trivialia* vocat. "Nomen ſpecificum *legitimum*, plan-" tam ab omnibus congeneribus diſtinguit; *Triviale* au-" tem nomen legibus etiamnum caret.——Nomen ſpe-" cificum eſt itaque differentia eſſentialis. *Nomina tri-" vialia* forte admitti poſſunt; modo, quo in *Pane Sue-" cico* uſus ſum, conſtarent hæc vocabulo unico, & libere " undequaque deſumpto. Ratione hac præcipue evicti, " quod differentia ſæpe longa evadit, ut non ubique " commode uſurpetur; & dein mutationi obnoxia, no-" vis detectis ſpeciebus" *(a)*. His uſus eſt etiam in *Gemmis arborum (b)*; non vero ſemper ex unico vocabulo, ſed ſæpe è duobus, quandoque tribus conſtant, differentiæ eſſentialis nulla habita ratione.

Ita *Tithymalus* helioſcopius, B. P. 291. eſt *Euphorbia* inermis, foliis ſubrotundis crenatis, umbella univerſa multifida polyphylla, partialibus trifidis, propriis triphyllis, H. Cliff. 198. Vel *Euphorbia* foliis crenatis, umbella univerſali quinquefida pentaphylla, partialibus trifidis, propriis triphyllis, H. Cliff. Fl. Suec. 159. & *Euphorbia Soliſequia*, Pan. Suec. Amæn. Acad. 2. 249. *Gramen* caninum arvenſe, B. P. 1. eſt *Triticum* radice repente, foliis viridibus, H. Cliff. 24. & *Triticum rad. officinarum*, P. S. Amæn. Acad. 240. *Salix* pumila folio rotundo, J. B. 1. 2. 217. eſt *Salix* foliis integris glabris ovatis, ſubtus reticulatis, Fl. Suec. 292. & *Salix folio ſubtus reticulato*, P. S. Amæn. Acad. 2. 260.

Lonicera, *Xyloſteum*, Fl. Suec. G. A. Amæn. Acad. 2. 202. eſt *Lonicera* pedunculis bifloris, baccis diſtinctis, foliis integerrimis, Fl. Suec. 67. *Lonicera*, *Periclymenum Germanicum*, Fl. Suec. G. A. Amæn. Acad. 2. 203. eſt *Lonicera* floribus capitatis terminatricibus, foliis omnibus diſtinctis, Fl. Suec. 67. *Acer folio ſubtus glauco*, H. Upſal. G. A. Amæn. Acad. 204. eſt *Acer* foliis quinquelobis acuminatis acute ſerratis, petiolis teretibus, H. Upſal. 94. & ſic de cæteris. Hoc recens eſt & ditiſſimum metallum, unde nomina nova ad libitum ſunt effodienda.

Certiſſimum tamen eſt *Linnæi nomina ſpecifica legitima* eſſe

(a) Phil. Bot. *p.* 202. *(b)* Amæn. Acad. 182.—223.

esse tam magni usus in Botanicis, ut certam magis ac dilucidam sæpe exhibeant specierum differentiam, quam ex prolixis quorundam descriptionibus facile colligi potest. Neque ut inutilia sunt spernenda nomina *trivialia*, modo ex specificis legitimis, aut synonymis notis desumantur; cum ea forte sola proprie *nomina* sunt dicenda, quæque sine necessitate non sunt multiplicanda.

§ XXI.

82. Plantarum species in plurimis fructificationis partibus, flore præcipue & fructu convenientes, congeneres censentur; ut primus docuit Magnus *Conradus Gesnerus*, natus Tiguri in 1516; & ibidem mortuus lue pestifera, an. 1565, ætatis 49, " dum Fundamenta Botanices ja-" ceret, quæ pluribus deinde vitiis laboravit, quod ejus " vestigia non fuerint secuti, qui post eum vixerunt" *(a)*.

Gesneri opera Botanica, ut amissa jamdiu deplorata, adhuc prostant manuscripta, forte tandem lucem visura. *Joh. Geor. Volckamerus* enim, in Floræ Noribergensis abbreviatorum explicationibus, hæc habet. " Icones plan-" tarum, tam alpinarum quam exoticarum, ad vivum " depictarum, ac breviter descriptarum a *Conrado Gesnero*, in tribus voluminibus, possidet auctor hujus Cata-" logi." Ibi etiam est " *Conradi Gesneri* historia plantarum & vires," ut distinctum opus. Ex illustri etiam *Heisteri* dicta præfatione *(b)* scimus, quod *Joachimus Camerarius* M. & Bot. Norimbergensis ære comparavit thesaurum illum botanicum, non diu post *Gesneri* obitum, ab ejus herede *Casparo Wolffio*, ut ipsum ederet: quod a *Camerario* postea ad *Volckameros*, ubi quam diutissime latuit, & ab his tandem 1744, mortuo ultimo *Volckamero*, ad Ill. *Trewium*, etiam Norimbergensem Botanicum præstantissimum, devenit.

83. Legitima vero constituendorum generum ratio, " Forte in tenebris adhuc jaceret, nisi *Robertus Morisonus Scotus Aberdonensis*, eam quasi ab herbariis abali-" enatam, renovasset, instaurasset, & primus ad usus

(a) Vid. T. *p.* 50. 53. *(b) p.* 11.

" quotidianos

" quotidianos adjunxiſſet; qua in re ſummis laudibus ex-
" cipiendus, longe vero majoribus, ſi a ſuis abſtinuiſſet," T. *(a)*. *Robertus Moriſon* natus fuit *Aberdoniæ* an. 1620, & obiit *Londini* 1683. Botanicus fuit procul dubio inſignis, utpote multum a coætaneis etiam celebratus. "*Robertus Moriſonius* Anglus, (ait *Mentzelius*), Medicus & " Botanicorum noſtri xvii. ſeculi curioſiſſimus. Præter " novam diſtributionem plantarum in certas claſſes, *&c.* " ſcripſit Hortum Regium Bleſenſem, Præludia Botanica, " *&c.*" *Vid. Ment.* Pin. Elench. auctorum. Ubi nulla omnino *Jungii* mentio. " In nomenclaturis, inquit Cl. " *Hermannus (b)*, ſequutus ſum ductum præcipuorum noſtri ævi Botanographorum; *Caſpari* & *Joannis Bauhini*, ut & *Roberti Moriſonii*, aliorumque apud quos " plantas a laudatis auctoribus omiſſas, invenire licuit." Et infra, " *Moriſonius* te docebit inprimis plantæ characterem, *C. Bauhinus* in Pinace ſynonymiam, *&c.*" Ac alibi *(c)*, " Cnicum hunc circa Tingidem collectum, ad " nos miſit *Dn. Robertus Moriſon*, dum viveret, Botanices Profeſſor in Academia *Oxonienſi* longe celeberrimus." Neque hic *Jungii* nomen invenio, neque apud *Volckamerum*, *Tournefortium*, *Boerhaavium*.

84. Cl. *Heiſterum* aliter de *Moriſono* ſentire me quidem male habet. Ille enim in laudata præfatione *(d)*, ita ſcribit, " Scriptores plerique qui de ortu & progreſſu rei " herbariæ ſcripſerunt, quando de *Cæſalpino*, vel etiam " de *Columna* locuti ſunt, conqueruntur, quod diu admodum poſt hunc ſcientia Botanica inexculta & contempta quaſi jacuerit, ſaltumque faciunt a *Cæſalpino*, " vel ab hoc *Columna*, mox ad *Moriſonum* & *Raium*, " ambo *Britannos*, qui eodem tempore in Anglia vixerunt, atque fere verſus finem ſuperioris ſeculi de methodo Botanica ſcripta ediderunt, & præſertim *Moriſono* omnem fere inventæ methodi gloriam adſcripſerunt; attamen, quod hic notandum, *Moriſonus* in " primo ſuo ſcripto Botanico, quod *Præludia Botanica* " inſcripſit, & *Londini* 1669, in 8° edidit, tantum plantas Horti Bleſenſis, quem Dux *Aurelianus Gaſtonus*,

(a) p. 53.
(b) Præf. in H. L. Bat.
(c) H. L. p. 164.
(d) p. 36.

" paulo

" paulo ante hoc tempus, in Gallia coluit, & cui per a-
" liquot annos præpositus fuit, alphabeti ordine recen-
" suit, & simul hallucinationes, quas in C. & *J. Bauhini*
" scriptis se primum observasse credidit, (quarum tamen
" plurimas jam ante *Jungius* noster notaverat). In hu-
" jus autem libri præfatione, valde gloriatur hic *Moriso-*
" *nus*, se primum invenisse methodum plantarum de qua
" nullus adhuc cogitasset, quam tamen hoc in libello
" nondum promulgavit." Et infra *(a)*, tradens quid
Jungius præstitit in *Doxocopiis*, " Parte 2. sect. 3. (ait) in
" proœmio, ita incipit, *Plantæ nisi certa in genera & spe-*
" *cies constanti ratione, non pro lubitu hujus vel illius, re-*
" *digantur, infinitum quasi reddetur phytoscopiæ studium.*
" *Intellectus autem humanus infinitum fugit, quia infinita*
" *pertransire nequeunt. Ordo autem classium, generum,*
" *specierum, terminum infinitis imponit (b).* Ex qui-
" bus patet egregium hunc virum vera ac præcipua me-
" thodi Botanicæ fundamenta hic indicasse, *ejusque sen-*
" *tentiam* postea *omnes Botanicos methodicos esse secutos.*"
Alia quamplurima exempla dat, & summis illum laudi-
dibus afficit; de quibus detrahere non est animus.

85. Liceat tamen obiter observare, Cl. *Heisterum* nullum dare exemplum characteris vel unius generis a *Jungio* constituti, aut enumerationis specierum ejus: dum quæ tradit de plantis in genere, de floribus, aut de usu methodi, clarius multo apud *Cæsalpinum* occurrunt, a quo ad *Morisonum* usque de methodo plantarum constituta altum est silentium. Sed *Morisonum* ex *Jungii* observationibus profecisse, vel ab eo quid mutuatum esse, minime verisimile est. Nam *Horti Blesensis* editio 1669 est tertia editio, secunda fuit *Parisiis* 1655. In tertiæ editionis præf. " Methodum meam novam, ait, per tabulas
" cognationis disponentem omnes vegetabilium classes,
" penes me nunc habeo; sed unde designatorum chal-
" cographorumque labores compensentur, non mihi sup-
" petit." Et præf. in dialogum, scribens ad D. *Joh. Fell*, " Præludia Botanica hæc mea, viam ad metho-
" dum nostram novam, cujus tibi exemplar ostendi,

(a) p. 40. *(b)* V. e *Cæs.* citata infra No. 86.

" præsternunt." Et in dedicatione Hallucin. " *Gaston* " *Franciæ* Dux *Aurelianensis*, lapsus seu hallucinationes " *Caspari Bauhini*, coryphæi omnium Botanicorum ante " se scribentium, observare in votis habuit; nobisque in " mandatis, per aliquot annis Blesis commorantibus, de- " dit." Horto Blesensi fuit præpositus ab an. 1650, ad 1660, quando mortuus est Dux. D. *Raius (a)* notat, specimina *Morisoni* methodi edita fuisse ante annum 1667. *Joach. Jungii* vero Isagoge phytoscopica, non typis mandata fuit *Hamburgi* ante annum 1678, ut habet D. *Heisterus*, *Seguierius*, & *Linnæus*; vel 1679, ut est in R. H. & T. Inst. edit. 1719. " Unde facile, ait Cl. *Heisterus (b)*, " in Angliam ad *Morisonum* & *Raium* pervenire potuit, si- " cuti etiam omnino illuc pervenit, dum *Raius* sæpe ip- " sum ejusque libros laudavit." *Raius* hist. l. 1. 1686 editæ. Sæpe laudat quidem *Jungium*, quandoque corrigit; sed Doxocopiæ physicæ nulla apud eum mentio. Non itaque constat *Morisonum* unquam vidisse *Jungii* libros.

§ XXII.

86. Generibus autem considerate statutis, alius rei herbariæ cardo in eorum dispositione consistit; quæ sic institui debet, ut maxime conducat ad planiorem & breviorem plantarum cognitionem. Hæc facile obtinebitur, si genera in nonnullas classes ita distribuantur, ut earum ope nomina plantarum extempore & sine præceptore indicentur. *Classis* autem nomine, intelligitur congeries generum, quibus nota quædam communis adeo propria est, ut ab omnibus aliis generibus plantarum prorsus differant. Hanc autem Botanices partem, a nemine adhuc tentatam, summo studio agitavit *Andreas Cæsalpinus*, Aretinus, natus an. 1519, denatus *Romæ* 1603; & rationem plantarum per classes disponendarum solus inter herbarios philosopho dignam reliquit *(c)*.

" In hac immensa plantarum multitudine, ait, illud " desiderari video quod in alio quocunque agmine incom- " posito maxime expeti solet: nisi enim in ordines redi-

(a) Præf. in meth. emend.
(b) *p.* 39.
(c) *Vid.* T. *p.* 51. & 66.

" gantur,

" gantur, & veluti castrorum acies distribuantur in suas " classes, tumultu & fluctuatione omnia perturbari ne- " cesse est. Id etiam nunc maxime in plantarum exa- " mine contingere videmus : cum enim inordinata mul- " titudine obruatur intellectus, errores inextricabiles, & " morosæ altercationes, ut plurimum exoriuntur : igno- " rato enim proprio genere, nulla descriptio, quamvis " accurate tradita, certam demonstrat, sed plerumque " fallit : nam confusis generibus, omnia confundi necesse " est, *&c.*" *Vid. Cæs.* l. 1. præf.

87. " Systematica plantarum distributio, quanquam " a *Cæsalpino* dudum detecta, & toto orbi exposita erat, " intacta tamen & neglecta, per integrum ferme secu- " lum, permansit, usquedum, felici omine, a *Morisono* " in Botanicam nato, primum resuscitata fuit. Altum " quidem de *Cæsalpino* silentium facit ; sed neque hoc " mirum videbitur illis, qui quantum recessit *Morisonus* a " legibus *Cæsalpinianis* examinant ; certe magis inde re- " cessit, quam reliqui deinceps a *Morisono* systematici, " qui nec ipsi dignas laudes cecinerunt." Ita *Linnæus* (*a*).

88. Hic *Raium* monstrare videtur, qui graviter in *Morisonum* infensus, illum jam mortuum, præter solitum quidem, plus quam civiliter tractat. Nam in Explic. nominum hist. pl. hæc habet. " *Robertus Morisonus*, quamdiu " intra suos limites se continuit, & Catalogis hortorum " componendis, notis generum characteristicis indagan- " dis, Botanicorum in dispositione specierum erroribus, " aut, ut loqui amat, hallucinationibus detegendis cor- " rigendisque operam dedit, laudem sane meruit. Ve- " rum cum sibi nimis placeret, suique plenus, *alios* etiam " *se doctiores* contemneret, majora viribus aggredi, & " plantarum historiam universalem conscribere ausus, " nec famæ suæ consuluit, nec multorum expectationi " satisfecit."

Et in præf. in Methodum emend. & auct. " Anno " 1667, Rev. Vir D. *Joannes Wilkins*, Episc. Cestriensis, " ut ad *Tabulas philosophicas* pro *charactere universali* " (cujus specimen tum parturibat) complendas, arbores

(*a*) Syst. plant. *p.* 33.

" & herbas in methodum aliquam redigerem, a me ef-
" flagitabat; in qua tamen mihi liberum non erat natu-
" ræ ordinem sequi, verum utrumque genus in tria tan-
" tum subordinata (nec enim plura nec pauciora instituti
" ratio patiebatur) distribuere coactus sum. Utcunque
" tanto amico, nihil quicquam quod a me requirebat,
" denegare ausus, tumultuario opere, & fere extempo-
" re, id præstiti. Hac re graviter offensus D. *Robertus*
" *Morisonus Aberdonensis* Scotus, M. D. veritus fortasse
" ne quid inde famæ suæ & auctoritati, quam non medi-
" ocrem inter Botanicos, nec immerito, sibi compara-
" verat, *editis speciminibus methodi illius*, quam se non e
" libris hausisse, sed a natura ipsa edoctum fuisse gloria-
" batur, decederet, meque in messem suam falcem im-
" mittere ausum ægre ferens, *Tabulas illas*, tacito aucto-
" ris nomine, indignis modis laceravit. Ego, quamvis
" methodum illam reprehensioni obnoxiam, nec tantum
" imperfectam, sed in multis *erroneam* & *vitiosam* fuisse
" agnoscerem; cum tamen viderem me ab homine 'αυ-
" θάδει suique pleno, ne quid durius dicam, aut manes
" ejus inquietem, contemptum & ludibrio plane habitum,
" ut existimationi meæ aliquatenus consulerem, tentare
" statui quid liber & naturæ ductum sequens, in plantis
" digerendis & methodo instituenda possem; tandemque
" re diu multumque perpensa, ex nostris aliorumque ob-
" servationibus inter se collatis, distributionem illam ex-
" sculpsi, quam postea, titulo *Methodi plantarum novæ*,
" anno octogesimo secundo elapsi seculi, evulgavi." Nec
scio quid durius dicere potuit.

89. Utcunque tota hujus jurgii causa, quantum inve-
nire possum, hæc fuit. In *Dialogo* inter *Socium* R. S. &
Botanographum (a), *Socius*, ait, " Certe ego certum indi-
" cium genericum a similitudine foliorum peti existimavi.
" *Botanogr.* Et ego hoc observavi in multis auctoribus,
" scribentibus aliquot abhinc annis; imo non ita pri-
" dem, in libro quodam, ab auctore vestri Collegii socio
" edito, in quo exhibetur methodus, per tabulas dispo-
" nentes classes plantarum, a similitudine foliorum sum-
" ptarum. Ego tantum confusum Chaos: illic de plan-

(a) Præl. Bot. p. 476.

" tis

" tis legi, nec quicquam didici, ut monſtrabo tibi & lap-
" ſus & confuſionem alias, quia digrediendum nunc
" non eſt."

90. Quamvis non opus ſit *Moriſonum* vindicare exiſtimatione eruditorum, liceat tamen pauca, ex ejus vita & præfatione præfixis H. Ox. vol. 3. tranſcribere. " Vir candidiſſimus methodum ſuam, & ſcripto & voce, omnibus oſtendere, omnes docere, nullius invidens famæ, ſuæ ſecurus, cui publicam utilitatem ſemper anteponebat. Non enim de *Moriſoni* fama deſperandum, quamdiu *Raii Synopſis ſtirpium Britannicarum*, aut ejuſdem auctoris *Hiſtoria plantarum*, in pretio apud Botanicos erunt: in quibus nulla eſt pagina, quantocunque lumine perfuſa, ubi *Moriſoni* ingenium non ſplendet." *Vid.* Mor. vitæ *p.* 4.; ibique judicium *Ammanni, Breynii, Cupani, &c.* de eo.

" Interea temporis *Abredonia*, felici admodum omine, protulit *Robertum Moriſonum*, Botanographorum omnium quotquot unquam fuerunt facile principem; cujus auſpiciis, ineffabili ſolertia & feliciſſimis ſtudiis, plus debent *rei herbariæ* ſtudioſi, quam univerſis veterum laboribus. Id quod cuivis videre in promptu eſt, qui *animadverſiones* ſuas *in Jo.* & *C. Bauhin. in Præludiis* ſuis *Botanicis Bleſenſibus*, & *Hiſt. Oxonienſi*, diligenter perpendit: & Cl. *Paulo Ammanno* recte annotante, dicere non erubeſcamus, *in nervoſis hiſce* Moriſoni *operibus, plus nitoris, plus veritatis, atque plus commodi ad philiatros ſpectantes, contineri, quam in numeroſiſſimis voluminibus omnibus, qui ſapiunt veterum proſapiam: conſcientia cujuſvis extra partium ſtudia atque affectus poſiti, ſit arbitra.*" Hæc Cl. *Bobart* in dicta præfatione, ſex plus minus annis ante *Jo. Raii* obitum. *Moriſoni* H. Oxon. multum etiam laudatur a magno *Boerhaavio* (a). " Oſtendunt hæc *Moriſonum* (ut cum ejus vitæ auctore iterum loquar) *Hiſtoriam Oxonienſem ſcribere auſum, & famæ ſuæ conſuluiſſe, & eruditorum expectationi ſatisfeciſſe*: quamvis id auſus eſt negare ille, qui incrementa ſua in Botanicis omnia præcipue *Moriſono* debuit."

(a) Ind. al. præf. *p.* 17.

§ xxiii.

§ XXIII.

91. Ut characterem generum a fructificatione, ita classium a flore commodissime petendum esse censeo, in plantis perfectioribus; in aliis ab habitu vel facie externa; ordinum vero, aut sectionum classium a fructu; ut a partibus maxime essentialibus ac spectabilibus. Et hæc *Tournefortii (a)* methodus, quæ omnium longe facillima est, ac utilissima tyronibus, ut supra notavi. Fateor, cum clarissimo auctore, hanc absolutam non esse: nec latent quæ in eam animadversa sunt ab eruditis, ut *Raio*, *Dillenio*, *&c.* sed præcipue a Cl. *Jussievio*.

92. Nescio tamen an nævorum qui in *Institutionibus rei herbariæ* observantur emaculatione, earum elegantia & utilitas multum augerentur: dum systema omnibus numeris perfectum, hoc ævo, si unquam expectandum non sit. Interim iis fruamur, obnixe rogantes præclarum & humanissimum D. *Bernardum* de *Jussieu*, ut iis summam imponat manum, vindicetque Botanicen a variis difficilibusque nugis ac tricis, quibus gravatur & opprimitur fere.

Qui scire vult quid fecerint alii ad Methodum plantarum perficiendam, adeat ipsos auctores; vel Cel. " *Caroli Linnæi classes plantarum*, seu systemata plantarum omnia a *fructificatione* desumpta, quorum xvi. universalia, & xiii. partialia, compendiose proposita, secundum *classes*, *ordines*, & nomina *generica*, cum clave cujusvis methodi, & synonymis genericis. Fundamentorum Botanicorum pars ii." Lugd. Bat. 1738, in 8°.

§ XXIV.

93. De plantarum usibus longum esset dicere; sine illis vivere non possumus. Quæcunque enim ad victum necessaria sunt, quæcunque ad delicias faciunt, abunde subministrant; non victum tantum, sed & vestitum, & medicinam, & domicilia, & navigia, & supellectilem, & focum, & oblectamenta sensuum animique. Sed his

(a) Vix. p. 65. 66. 67. Inst.

immorari

immorari necessarium non ducimus. Videatur R. H. *p*. 46.

94. Liceat tamen observare, quoad usum medicum, nullam methodum in Botanicis tanti esse usus ad investigandas plantarum vires, ac a nonnullis prædicatur; quorum primus fuit *Cæsalpinus*, qui (in præf.) ita scribit. "Tandem & facultates, quas medici maxime quærunt "tanquam proprietates, innotescunt ex naturarum cog-"nitione, quæ generis societate junguntur, plerumque "similes possident facultates." Quod fuse prosequuntur alii; præcipue *Frid. Hoffmannus* medicinæ Professor *Hallensis*, in Dissert. de *Methodo compendiosa plantarum virtutes in medendo indagandi*; & recentissime a Cl. *Linnæo* in suis Fundamentis & Philosophia Botanicis *(a)*. Hic asseritur, quod "Plantæ quæ *genere* conveniunt, etiam vir-"tute conveniunt; quæ *ordine* naturali continentur, e-"tiam virtute propius accedunt; quæ *classe* naturali con-"gruunt, etiam viribus quodammodo congruunt."

95. Sed notissimum est, partes ejusdem speciei sæpissime inter se multum viribus discrepare. Ex. gr. radix & folia Absinthii vulgaris, Acetosæ, Aristolochiæ, *&c.* Cortex & lignum Cinnamomi, Citri, China chinæ, *&c.* Folia & flores Lilii albi, Jasmini, Rosarum, *&c.* Flores & fructus Pruni sylvestris, Persicæ, Pyri, *&c.* Fructus, cortex, & nucleus Anacardii, Juglandis, Amygdalæ, *&c.* Quid opus exemplis? Quantum differant virtutibus semina, fructus, partesque aliæ plantarum usitatæ, ab partibus non usitatis, nullum latere potest, qui scit distinguere inter triticum & paleam ventis agitatam.

Item species ejusdem generis, naturale sit aut artificiale parum refert. Toto cœlo differunt inter se Absinthium vulgare, & Absinthium insipidum; Aloe Succotrina, & Aloe Americana; Cinnamomum & Sassafras; Persicaria acris & mitis; Sedum minus & Sedum minimum; Balsamina mas, & Cucumis asininus; Cucumis sativus & Colocynthis; Ranunculus acris, & Ranunculus dulcis; & innumera alia.

96. Multo minus semper viribus conveniunt plantæ, quæ ordine naturali continentur. Talis convenientiæ

(a) *p*. 278. ad 287.

exempla

exempla dat *Linnæus (a)*, *viz.* " *Columniferæ:* Malva, " Althæa, Alcea, Goſſypium. *Scitamina:* Zingiber, " Cardamomum, Galanga, Zedoaria, Coſtus, Grana " Paradiſi, Curcuma. *Orchideæ:* Orchis, Satyrium, " Serapias, Epidendrum. *Multiſiliquæ:* Pæonia, Aqui- " legia, Aconitum, Delphinium, Nigella, Helleborus, " Ranunculus, Pulſatilla. *Contortæ:* Apocynum, Cy- " nanche, Aſclepias, *&c.*" Sed etſi in his talis convenientia revera exiſteret, minime inde ſequitur, ergo & in aliis omnibus, plurimiſve: cum tamen vix una planta magis ab alia viribus diſcrepare poteſt quam Aſclepias ab Apocyno, Pæonia ab Aquilegia, utraque ab Aconito, Nigella, Helleboro, Ranunculo; ut & hæc inter ſe; neque ſane virtute ad Curcumam prope accedunt Grana Paradiſi. Si vero *ordines* ipſos, quos propoſuit *(b)* ut fragmenta methodi naturalis, inſpiciamus, ibi ſub eodem ordine naturali, Arum, Acorus, & Phytolacca; Crocus & Colchicum; Scilla & Hyacinthus; Iris & Gladiolus; Lilium & Tulipa; Piſtacia & Quercus; Sambucus & Rhus; Ficus & Cannabis; Carthamus & Cinara; Tuſſilago & Doronicum; Eryngium & Cicuta; Olea & Fraxinus; Laurus & Biſtorta; Capſicum & Verbaſcum; & quamplurima alia ſub eodem ordine militantia, inveniuntur viribus tam diſſita, ac ſunt alimenta, medicamenta, ac venena; vel una claſſis ſimplicium ab alia.

" Affines (ait D. *Linnæus*) conveniunt habitu, naſcen- " di modo, proprietatibus, viribus, uſu. Summorum " Botanicorum hodiernus labor in his ſudat, & deſudare " decet. *Methodus naturalis* hinc ultimus finis Botanices " eſt, & erit" *(c)*. Qui vero talem affinitatem inter genera fere ullius dictorum ordinum perſpectam habet, me multo clarius cernit. Si enim Salix & Platanus; Morus & Parietaria; Erica & Arbutus; Corchorus & Tilia; Opulus & Ilex; Melianthus & Fumaria; Papaver & Podophyllum, & multa alia, habitu conveniunt, quid ſit habitu convenire, me ignorare libenter agnoſco.

97. De methodo illa *naturali*, " primo hoc & ultimo " in Botanicis deſiderato" *(d)*, obiter notandum oc-

(a) Phil. Bot. *p.* 278.
(b) Phil. Bot. *p.* 27. ad 35.
(c) Phil. Bot. *p.* 137.
(d) Phil. Bot. *p.* 27.

currit,

currit, 1°, Quod, si de ea ex dictis *fragmentis* judicium ferre liceat, plane inutilis videbitur illis, qui plus plantarum notitia, quam nominum multitudine delectantur. Quid enim attinuit alias fabricare illa nomina vicaria (ut vocat) quæ necessario sunt mutanda, qualia sunt *Piperitæ*, *Scitamina*, *Sepiariæ*, *Calamariæ*, *Scabridæ*, *Culmineæ*, *Vaginales*, *Sarmentaceæ*, *Candelares*, *&c.?* aut & ordines ipsos, quorum genera tam parum sunt affinia ? cum nequaquam facilitant scientiam, hactenus terminorum, methodorum, *&c.* superflua varietate, penitus fere deperditam. Lingua enim Botanica (notante Cl. *Busonio*) cognitione plantarum ipsa, hisce diebus, difficilius multo est acquirenda ; quod scholæ *Upsaliensi* multum debetur, vel potius infelici systemati sexuali.

98. Et, 2°, Si quod sentio loqui liceat, qui de Methodo plantarum *naturali* investiganda sudant, de lapide philosophico desudare videntur, cum natura de speciebus tantum sit solicita : & hinc est quod omnes in hunc finem hucusque conatus, abortum passi sunt. Et vereor quidem ne Cel. Phil. Bot. auctor, systema sexuale jam fastidiens, novam meditetur rei herbariæ revolutionem. Etsi enim Fund. Bot. § 209. " Habitui plantarum (ait) " adeo adhærere, ut rite assumpta fructificationis princi- " pia deponantur, est *stultitiam sapientiæ* loco quærere." Et alibi *(a)* habitum tantum *occulte* consulendum suadet. Nunc aliter quodammodo sentire videtur : de methodo enim naturali, hoc *ultimo Botanices fine*, tractans *(b)*, addit, " Obicem methodi naturalis objecere tria præ primis " obstacula ; 1°, Neglectus *Habitus* plantarum, post " excultam doctrinam fructificationis, præsertim *foliati-* " *onis* novæ, *p.* 105." *&c.* Et loco citato hæc habet : " *Foliatio* est complicatio ea quam servant *folia*, dum in- " tra gemmam aut Asparagos plantarum latent. Hæc " prætervisa antecessoribus sequentes x. modos agnoscit, " *Involuta*, *Revoluta*, *Obvoluta*, *Convoluta*, *Imbricata*, " *Equitantia*, *Conduplicata*, *Plicata*, *Reclinata*, *Circina-* " *lia*." Imo in Fund. Bot. § 163. fuse commentatus est de *Habitu* a *p.* 101. ad 112. Phil. Botanicæ, ubi qui-

(a) § 168. *(b)* Phil. Bot. *p.* 137.

dem multa noviſſime detecta, vix utiliſſima tamen occurrunt.

99. " Qualitates plantarum, in quibus vires ſubſiſtunt, " indicat ſapor, odor, color," Fund. Bot. 358. De uſu ſenſuum, præcipue *Guſtus*, in detegendis plantarum viribus, multa occurrunt apud varios auctores. Nullus vero *ſaporum* differentias ſatis diligenter obſervaſſe videtur ; & nonnullos etiam compoſitos pro ſimplicibus habuiſſe, alios gradu tantum diverſos pro ſpecie diſtinctis. Quocirca *Grevius* noſter, doctrina in ſcholis tradita non contentus, rem totam ad examen revocans, & curioſius expendens, animadvertit & diſtinxit *ſimplicium ſaporum* ſexdecim *ſpecies* diverſas ; ex harum conjunctionibus, *compoſitos* fere innumeros ; & eorum differentias, reſpectu *graduum, durationis*, ac *ſubjecti* quod afficiunt, admodum varias. *Vid. Grevii* tractatum *de ſaporum differentiis & cauſis* in ſua *Anat. plantarum* editum, vel *Raii* hiſt. *p*. 46.—50. Qui, *Grevii* modo hucuſque neglecto, plantarum ſapores examinet, haud parum vires plurimarum perſpectas habebit, nequaquam omnium.

Odorum conſideratio etiam quodammodo utilis, ſed rarius. " *Ambroſiaca* ſunt Analeptica, *Fragrantia*, Or- " gaſtica, *Aromatica* excitantia, Tetra ſtupefacientia, " *Nauſeoſa* corroſiva," Fund. Bot. § 362. Et ſecundum Phil. Bot. *(a)*, *Ambroſiaca* ſunt *Aſperula*, *Abelmoſch*, *Geranium moſchatum*, *Malva moſchata*, *Milium*, & *Aira*: aguntque uti *Ambra*, *Moſchus*, *Zibethum*. *Fragrantia*, flores Croci, Jaſmini, Violæ, *&c*. ac gratiſſimo odore ſeſe commendant. *Aromatica*, Laurus, Saſſafras, Camphora, *&c*. odore & guſtu fere conveniunt. *Graveolentia* ſingularia ſunt *Alliacea*, Allium, Scordium, Aſſa fœtida, *&c*. *Hircina*, Orchis, Hieracium fœtidum, Atriplex olida, Geranium Robertianum. *Tetra*, odore ingrato notiſſima ; Cotula fœtida, Opium, Ebulus, *&c*. *Nauſeoſa* quæ ingeſta a natura reſpuuntur ; Veratrum, Helleborus, Convallaria, Aſarum, Nicotiana, Colocynthis. Ita explicatur hic aphoriſmus a clar. auctore. Sed quomodo hæc nauſeoſa dicenda ſunt *corroſiva* ; aut Tetra

(a) p. 284.

ſtupefacientia; aut in quo conveniunt inter ſe hæc Ambroſiaca, Fragrantia, Aromatica, nequaquam video. Ambroſiaci enim, ni fallor, (terminus enim eſt hic inuſitatus), æquo jure dici poſſunt flores Mezerei, Narciſſi, Hyacinthi, *&c.* vel ſaltem Fragrantes, ac ſupra memorata, utcunque viribus diſcrepantia.

Uno verbo, qui ex ſapore & odore, multo magis ex colore & loco, vires plantarum deſumat, ſæpiſſime errabit. Quæ vero plantæ conveniunt, & fructificatione & ſapore ac odore accurate, raro admodum viribus differre adhuc obſervantur.

100. De *Cultura* vegetabilium nihil eſt quod addam. Spartam hanc nactus eſt, eamque ornat amiciſſimus noſter *Philippus Millerus*, R. S. S. in erudito ſuo *Dictionario hortenſi*, quod in omnium eſt manibus. " The Gardeners Dictionary *Milleri*, ait *Linnæus (a)*, tradit ſpecialem culturam ſingulæ plantæ; at nimis diffuſa & onéroſa eſſet hæc Methodus horticulturæ, per omnes plantarum detectas ſpecies. *Horticulturæ* fundamentum dependet a loco plantarum natali, unde canones & principia artis formanda." Conſtat tamen experientia, quam multas plantas hyemes perferre noſtras, læteque in hortis provenire, quarum locus natalis multum a noſtro cœlo ſoloque differt: & utut *diffuſa & oneroſa ſit* Dictionarii *methodus*, cultura ibi traditur plurium plantarum, quam alit puto ullus in *Europa* hortus; atque ſimul & ſemel facilius citiuſque invenitur, quam in ullo alio auctore, aut ope canonum in Philoſophia Botanica *(b)* traditorum, inveſtigare datur. Et hinc eſt quod intra plus minus viginti annos dictionarium hoc ſexies impreſſum eſt; & ejus abbreviatura ter quaterve.

§ XXV.

Cum ſummis rem herbariam laudibus efferant omnes, qui medicinam diſcendi rationem rite tractant, ejuſque diſciplina ſit non minus corpori amica, quam animo neceſſaria, non opus eſt eidem celebrandæ hic immorari. Haud tamen ab re duxi, memoriæ cauſa, Stirpium conſpectum

(a) Phil. Bot. *p.* 263. *(b) p.* 263.—270.

generalem, ſecundum *Tournefortii* methodum exhibere. Ac dein, ne ſerie plantarum inutiliter interrupta, index in nimiam excreſcat longitudinem, ſubnectam etiam claſſium & ſectionum titulos, parum contractos, ut & generum ab eo deſcriptorum nomina, cum aliis nonnullis recentius detectis; adjectiſque *Linnæi* nominibus genericis quæ a *Tournefortianis* diſcrepant.

Herbæ & ſuffrutices ſunt vel

- Anthophoræ, eæque vel
  - Petalodes, quæ
    - Flore ſimplici,
      - Monopetalo,
        - Campaniformi. *Claſſis* 1.
        - Infundibuliformi, aut Rotato. *Claſſ.* 2.
        - Labiato. *Claſſ.* 3.
        - Anomalo. *Claſſ.* 4.
      - Polypetalo,
        - Cruciformi. *Claſſ.* 5.
        - Roſaceo. *Claſſ.* 6.
        - Umbellato. *Claſſ.* 7.
        - Caryophyllæo. *Claſſ.* 8.
        - Liliaceo. *Claſſ.* 9.
        - Papilionaceo. *Claſſ.* 10.
        - Anomalo. *Claſſ.* 11.
    - Flore compoſito,
      - Floſculoſo. *Claſſ.* 12.
      - Semifloſculoſo. *Claſſ.* 13.
      - Radiato. *Claſſ.* 14.
  - Apetalæ. *Claſſ.* 15.
- Ananthæ, quæ
  - Spermatophoræ. *Claſſ.* 16.
  - Aſpermæ, vulgo habitæ. *Claſſ.* 17.

Arbores & frutices ſunt vel

- Apetalæ,
  - Stamineæ. *Claſſ.* 18.
  - Amentaceæ. *Claſſ.* 19.
- Petalodes,
  - Monopetalæ. *Claſſ.* 20.
  - Roſaceæ. *Claſſ.* 21.
  - Papilionaceæ. *Claſſ.* 22.

Claſſis

CLASSIS I.

Herbæ monopetalæ campaniformes.

1. *Pistillo abeunte in fructum mollem.*

Mandragora.
Belladona. *Atropa.*
Lilium convallium. *Convallaria.*
Polygonatum. *Convallaria.*
Ruscus.

2. *Pistillo abeunte in fructum siccum.*

Cerinthe.
Gentiana.
Hydrophyllon.
Soldanella.
Convolvulus.
Cuscuta.
Tithymalus. *Euphorbia.*
Tithymaloïdes. *Euphorbia.*
Euphorbium. *Euphorbia.*
Manihot. *Jatropha.*
Glaux.
Oxys. *Oxalis.*

3. *Pistillo abeunte in semen unicum.*

Rhabarbarum.

4. *Pistillo abeunte in fructum, e vaginulis aut folliculis constantem.*

Cotyledon.
Apocynum.
Periploca.
Asclepias.

5. *Pistillo, staminibus inferne in tubum coalitis circundato, abeunte in fructum multicapsularem.*

Malva.
Althæa.
Alcea.
Malacoïdes. *Malope.*
Lavatera.
Abutilon. *Sida.*
Ketmia. *Hibiscus.*
Xylon. *Gossipium.*

6. *Calyce abeunte in fructum, plerumque carnosum.*

Bryonia.
Tamnus. *Tamus.*
Sicyoïdes. *Sicyos.*
Momordica.
Luffa. *Momordica.*
Cucumis.
Melo. *Cucumis.*
Pepo. *Cucurbita.*
Melopepo. *Cucurbita.*
Cucurbita.
Anguria. *Cucurbita.*
Colocynthis. *Cucumis.*

7. *Calyce abeunte in fructum siccum.*

Campanula.
Rapunculus. *Phyteuma.*
Valantia.

8. *Calyce abeunte in fructum gemellum.*

Rubia.
Aparine.
Gallium. *Galium.*
Cruciata. *Galium.*

CLASSIS II.

Herbæ monopetalæ infundibuliformes,

fundibuliformes, & rotatæ.

1. *Piſtillo abeunte in fructum.*
Quamoclit. *Ipomæa.*
Menyanthes.
Nicotiana.
Hyoſcyamus.
Stramonium. *Datura.*
Pervinca. *Vinca.*
Auricula Urſi. *Primula.*
Centaurium minus. *Gentiana.*
Lychnidea. *Phlox.*
Androſace.
Primula veris. *Primula.*
Plantago.
Coronopus. *Plantago.*
Pſyllium. *Plantago.*
2. *Calyce abeunte in fructum.*
Jalapa. *Mirabilis.*
Rubeola. *Aſperula.*
Trachelium.
Valeriana.
Valerianella. *Valeriana.*
Ananas. *Bromelia.*
3. *Piſtillo abeunte in fructum, ex ſeminibus quatuor nudis conſtantem.*
Borrago.
Bugloſſum. *Anchuſa.*
Aſperugo.
Echium.
Echioïdes. *Lycopſis.*
Pulmonaria.
Lithoſpermum.
Symphytum.
Heliotropium.
Cynogloſſum.
Omphalodes. *Cynogloſſum.*
4. *Piſtillo abeunte in ſemen ſingulare.*
Plumbago.
5. *Rotatæ, piſtillo abeunte in fructum ſiccum.*
Lyſimachia.
Hottonia.
Anagallis.
Samolus.
Veronica.
Chryſoſplenium.
Polemonium.
Verbaſcum.
Blattaria. *Verbaſcum.*
Polygonoïdes. *Calligonum.*
6. *Rotatæ, piſtillo abeunte in fructum mollem.*
Solanum.
Lycoperſicon. *Solanum.*
Alkekengi. *Phyſalis.*
Melongena. *Solanum.*
Capſicum.
Nymphoïdes. *Menyanthes.*
Cyclamen.
Moſchatellina. *Adoxa.*
7. *Rotatæ, calyce abeunte in fructum.*
Pimpinella.

CLASSIS III.

Herbæ monopetalæ labiatæ.

1. *Labio ſuperiore galeato, aut falcato.*
Phlomis.
Horminum. *Salvia.*
Sclarea. *Salvia.*
Salvia.

Dracocephalon.

Dracocephalon. *Dracocephalum.*
Cassida. *Scutellaria.*
Brunella.
2. *Labio superiore cochlearis instar excavato.*
Lamium.
Moldavica. *Dracocephalum.*
Ballote. *Ballota.*
Galeopsis.
Stachys.
Cardiaca. *Leonurus.*
Leonurus.
Molucca. *Molucella.*
Pseudodictamnus. *Marrubium.*
Mentha.
Marrubiastrum. *Cunila.*
Lycopus.
3. *Labio superiore erecto.*
Sideritis.
Marrubium.
Melissa.
Calamintha. *Melissa.*
Clinopodium.
Rosmarinus.
Thymus.
Serpyllum. *Thymus.*
Satureia.
Thymbra. *Satureia.*
Lavendula.
Origanum.
Majorana. *Origanum.*
Verbena.
Hyssopus.
Stœchas. *Lavendula.*
Cataria. *Nepeta.*
Betonica.
Ocimum.
4. *Unilabiatæ.*
Chamædrys. *Teucrium.*
Polium. *Teucrium.*
Teucrium.
Chamæpitys. *Teucrium.*
Bugula. *Teucrium.*

CLASSIS IV.

Herbæ monopetalæ anomalæ.

1. *Flore aurito, vel cucullato.*
Arum.
Dracunculus. *Dracontium.*
Arisarum. *Arum.*
2. *Flore tubulato, in linguam desinente.*
Aristolochia.
Rapuntium. *Lobelia.*
3. *Flore utrinque patente.*
Bignonia.
Digitalis.
Scrophularia.
Pinguicula.
4. *Flore tubulato, personato.*
Antirrhinum.
Linaria. *Antirrhinum.*
Phelypæa.
Morina.
Asarina. *Antirrhinum.*
Ageratum. *Erinus.*
Pedicularis.
Melampyrum.
Chelone.
Euphrasia.
Polygala.
Chamæbuxus. *Polygala.*
Adhatoda. *Justicia.*
Coris.

Clandestina.

Clandestina. *Lathræa.*
Orobanche.
Dodartia.
Anblatum. *Squamaria.*
Elephas. *Rhinanthus.*
5. *Flore in annulum desinente.*
Acanthus.

CLASSIS V.

Herbæ tetrapetalæ cruciformes.

1. *Fructu unicapsulari, non siliquoso.*
Jonthlaspi. *Clypeola.*
Rapistrum. *Myagrum.*
Myagrum.
Isatis.
Crambe.
Cakile. *Raphanus.*
Vesicaria. *Alyssum.*
2. *Fructu satis brevi, bifariam diviso, septo intermedio, respectu valvarum, ad perpendiculum oblique posito.*
Thlaspi.
Nasturtium. *Lepidium.*
Thlaspidium. *Biscutella.*
Cochlearia.
Lepidium.
Bursa pastoris. *Thlaspi.*
3. *Fructu, septo intermedio valvis parallelo, bifariam diviso.*
Alysson. *Alyssum.*
Alyssoïdes. *Alyssum.*
Lunaria.
4. *Fructu siliquoso, bicapsulari.*
Brassica.
Leucoium. *Cheiranthus.*
Hesperis.
Turritis.
Cardamine.
Dentaria.
Sisymbrium.
Eruca. *Brassica.*
Sinapi.
Erysimum.
Rapa. *Brassica.*
Napus. *Brassica.*
Raphanus.
5. *Siliqua articulosa.*
Raphanistrum. *Raphanus.*
Hypecoon. *Hypecoum.*
6. *Siliqua unicapsulari.*
Chelidonium.
Sinapistrum. *Cleome.*
Epimedium.
7. *Fructu in terna aut quaterna loculamenta diviso.*
Erucago. *Bunias.*
8. *Fructu ex seminibus in capitulum collectis constante.*
Potamogeton.
9. *Fructu molli.*
Herba Paris. *Paris.*

CLASSIS VI.

Herbæ rosaceæ.

1. *Pistillo abeunte in fructum unicapsularem, bifariam transversa dehiscentem.*
Amaranthus.
Portulaca.

2.

2. *Piſtillo abeunte in fructum unicapſularem.*
Papaver.
Argemone.
Anapodophyllon. *Podophyllum.*
Opuntia. *Cactus.*
Melocactus. *Cactus.*
Cereus. *Cactus.*
Ficoïdes. *Meſembryanthemum.*
Granadilla. *Paſſiflora.*
Murucuia. *Paſſiflora.*
Mitella.
Leontopetalon. *Leontice.*
Alſine.
Alſinaſtrum. *Elatine.*
Myoſotis. *Ceraſtium.*
Ros Solis. *Droſera.*
Parnaſſia.
Juncus.
Kali. *Salſola.*
Telephium.
Tribuloïdes. *Trapa.*
Helianthemum. *Ciſtus.*
Androſæmum. *Hypericum.*
3. *Piſtillo abeunte in fructum plerumque bicapſularem.*
Geum. *Saxifraga.*
Saxifraga.
Salicaria. *Lythrum.*
Glaucium. *Chelidonium.*
4. *Piſtillo abeunte in fructum multicapſularem.*
Chamelæa. *Cneorum.*
Hypericum.
Aſcyrum. *Hypericum.*
Sarracena.
Pyrola.
Damaſonium. *Aliſma.*
Orobanchoïdes. *Monotropa.*
Ruta.
Harmala. *Peganum.*
Nigella.
Garidella.
Fabago. *Zygophyllum.*
Corchorus.
Hermania.
Telephioïdes. *Andrachne.*
Ciſtus.
Nymphæa.
5. *Piſtillo abeunte in fructum, in quo veluti nidulantur ſemina.*
Nelumbo. *Nymphæa.*
Capparis.
6. *Piſtillo abeunte in fructum e plurimis capſulis compoſitum.*
Sedum.
Anacampſeros. *Sedum.*
Ulmaria. *Filpendula.*
Barba capræ. *Aruncus.*
Fagonia.
Tribulus.
Juncago. *Triglochin.*
Geranium.
Thalictrum.
Butomus.
Helleborus.
Veratrum.
Populago. *Caltha.*
Pæonia.
7. *Piſtillo abeunte in fructum, e ſeminibus pluribus in capitulum collectis compoſitum.*
Anemone. *Pulſatilla.*
Pulſatilla.
Ranunculus.

Filipendula.
Clematitis. *Clematis.*
Caryophyllata. *Geum.*
Fragaria.
Quinquefolium. *Potentilla.*
Tormentilla.
Pentaphylloïdes. *Potentilla.*
8. *Fructu molli.*
Christophoriana. *Actæa.*
Phytolacca.
Solanoïdes. *Rivinia.*
Aralia.
Asparagus.
Smilax.
Menispermum.
9. *Calyce abeunte in fructum siccum.*
Cuminoïdes. *Lagoecia.*
Circæa.
Agrimonia.
Agrimonoïdes. *Agrimonia.*
Onagra. *Oenothera.*
Chamænerion. *Epilobium.*
10. *Fructu a flore sejuncto.*
Ricinoïdes. *Croton.*
Begonia.
Morsus Ranæ. *Hydrocharis.*

CLASSIS VII.

Herbæ umbellatæ.

1. *Seminibus exiguis & striatis.*
Ammi.
Apium.
Cicuta. *Coxium.*
Carvi. *Carum.*
Phellandrium.
Bulbocastanum. *Bunium.*
Daucus.
Sium.
Sisarum. *Sium.*
Tragoselinum. *Pimpinella.*
Bupleurum.
2. *Seminibus angustis, oblongis, & satis crassis.*
Fœniculum. *Anethum.*
Meum. *Athamanta.*
Œnanthe.
Angelica. *Ægopodium.*
Astrantia.
Chærophyllum.
Myrrhis. *Chærophyllum.*
3. *Seminibus subrotundis & crassiusculis.*
Smyrnium.
Coriandrum.
4. *Seminibus planis, ovatis, satis amplis.*
Imperatoria, & *Angelica.*
Crithmum.
Anethum.
Peucedanum.
5. *Seminibus ovatis, planis, amplis.*
Oreoselinum. *Selinum.*
Thysselinum. *Selinum.*
Pastinaca.
Sphondylium. *Heracleum.*
Tordylium.
Ferula.
Thapsia.
6. *Seminibus amplis, & profundis striis excavatis.*
Cicutaria. *Ligusticum.*
Caucalis.
Echinophora. *Caucalis.*
Ligusticum.
Laserpitium.

7. *Semi-*

7. *Seminibus cortice fungoso obductis.*
Cachrys.
8. *Seminibus in caudam longam desinentibus.*
Scandix.
9. *Umbellis in capitulum conglobatis.*
Sanicula.
Eryngium.
Hydrocotyle.

CLASSIS VIII.

Herbæ caryophyllææ.

1. *Pistillo abeunte in fructum.*
Caryophyllus.
Lychnis.
Cucubalus.
Linum.
2. *Pistillo abeunte in semen, calyce involutum.*
Statice.
Limonium.

CLASSIS IX.

Herbæ liliaceæ.

1. *Monopetalæ, pistillo abeunte in fructum.*
Asphodelus.
Lilio-Asphodelus. *Hemerocallis.*
Hyacinthus.
Muscari. *Hyacinthus.*
Colchicum.
Bulbocodium. *Crocus.*
2. *Monopetalæ, calyce abeunte in fructum.*
Crocus.
Narcissus.
Iris.
Xiphion. *Iris.*
Hermodactylus. *Iris.*
Sisyrinchium. *Iris.*
Gladiolus.
Aloe.
Yucca.
Cannacorus. *Canna.*
Zingiber. *Amomum.*
Hæmanthus.
3. *Tripetalæ.*
Ephemerum. *Tradescantia.*
Aloïdes.
4. *Hexapetalæ, pistillo abeunte in fructum.*
Phalangium. *Anthericum.*
Liliastrum. *Hemerocallis.*
Lilium.
Lilio-Hyacinthus. *Scilla.*
Corona Imperialis. *Petilium.*
Tulipa.
Fritillaria.
Dens Canis. *Erythronium.*
Methonica. *Gloriosa.*
Ornithogalum.
Aphyllanthes.
Porrum.
Cepa.
Allium.
5. *Hexapetalæ, calyce abeunte in fructum.*
Lilio-Narcissus. *Amaryllis.*
Narcisso-Leucoium. *Leucoium.*
Bermudiana. *Sisyrinchium.*

CLASSIS X.

Herbæ papilionaceæ, ſeu leguminoſæ.

1. *Siliqua brevi unicapſulari.*
Glycyrrhiza.
Cicer.
Lens. *Cicer.*
Onobrychis. *Hedyſarum.*
Vulneraria. *Anthyllis.*
Dorycnium.
2. *Siliqua longa unicapſulari.*
Faba.
Lupinus.
Orobus.
Piſum.
Lathyrus.
Clymenum. *Lathyrus.*
Niſſolea.
Ochrus. *Piſum.*
Vicia.
Ervum.
Galega.
Aſtragaloïdes. *Phaca.*
Aphaca. *Lathyrus.*
Ternatea. *Clitorea.*
3. *Siliqua articuloſa.*
Securidaca. *Coronilla.*
Ornithopodium. *Ornithopus.*
Ferrum equinum. *Hippocrepis.*
Hedyſarum.
Scorpioïdes. *Scorpiurus.*
4. *Trifoliatæ.*
Lotus.
Trifolium.
Melilotus. *Trifolium.*
Anonis. *Ononis.*
Fœnum Græcum. *Trigonella.*
Medica. *Medicago.*
Medicago.
Phaſeolus.
5. *Siliqua bicapſulari.*
Aſtragalus.
Tragacantha.
Pelecinus. *Biſerrula.*

CLASSIS XI.

Polypetalæ anomalæ.

1. *Piſtillo abeunte in fructum unicapſularem.*
Balſamina. *Impatiens.*
Viola.
Fumaria.
Capnoïdes. *Fumaria.*
Reſeda.
Luteola. *Reſeda.*
2. *Piſtillo abeunte in fructum multicapſularem.*
Seſamoïdes. *Reſeda.*
Aconitum.
Delphinium.
Aquilegia.
Fraxinella. *Dictamnus.*
Cardamindum. *Tropæolum.*
Melianthus.
Corindum. *Cardioſpermum.*
3. *Calyce abeunte in fructum.*
Orchis.
Helleborine. *Serapias.*
Calceolus. *Cypripedium.*
Limodorum. *Orchis.*
Ophris. *Ophrys.*
Nidus avis. *Neottia.*

CLASSIS

CLASSIS XII.

Herbæ flosculosæ.

1. *Flore a fructu separato.*
Xanthium.
Ambrosia.
Gnaphalodes. *Micropus.*
2. *Semine papposo.*
Carduus.
Cinara. *Cynara.*
Jacea. *Centaurea.*
Cyanus. *Centaurea.*
Cirsium. *Carduus.*
Centaurium majus. *Centaurea.*
Lappa. *Arctium.*
Cnicus.
Petasites. *Tussilago.*
Cacalia. *Tussilago.*
Elichrysum. *Gnaphalium.*
Filago. *Gnaphalium.*
Conyza.
Eupatorium.
Senecio.
3. *Semine non papposo.*
Carthamus.
Absinthium. *Artemisia.*
Abrotanum. *Artemisia.*
Artemisia.
Santolina.
Gnaphalium.
Tanacetum.
Conyzoïdes. *Erigeron.*
Bidens.
4. *Flosculis calyce proprio insidentibus, & in lacinias æquales divisis.*
Echinopus.
Amaranthoïdes. *Gomphræna.*
5. *Flosculis calyce proprio insidentibus, & in lacinias inæquales ut plurimum divisis.*
Scabiosa.
Lychniscabiosa. *Knautia.*
Dipsacus.
Gundelia.
Globularia.

CLASSIS XIII.

Herbæ semiflosculosæ.

1. *Semine papposo.*
Dens Leonis. *Leontodon, &c.*
Hieracium, *&c.*
Lactuca.
Sonchus, *&c.*
Chondrilla.
Zacintha. *Lapsana.*
Scorzonera.
Tragopogon.
2. *Semine non papposo.*
Catanance. *Catananche.*
Hedypnoïs. *Lapsana.*
Cichorium.
Lampsana. *Lapsana.*
Rhagadiolus. *Lapsana.*
Scolymus.

CLASSIS XIV.

Herbæ radiatæ.

1. *Semine papposo.*
Aster. *Inula,* &c.
Virga aurea. *Solidago.*
Jacobæa. *Senecio.*
Tussilago.

Doro-

Doronicum.
2. *Seminibus capitulo foliato instructis.*
Tagetes.
Anemonospermos. *Arctotis.*
Corona Solis. *Heiranthus.*
3. *Semine pappis & capitulo folioso carente.*
Bellis.
Chrysanthemum.
Leucanthemum. *Chrysanthemum.*
Matricaria.
Chamæmelum. *Anthemis.*
Cotula.
Buphthalmum.
Millefolium. *Achillea.*
Ptarmica. *Achillea.*
Asteriscus. *Buphthalmum.*
Asteroïdes. *Buphthalmum.*
Chrysanthemoïdes. *Osteospermum.*
4. *Seminibus in capsula reconditis.*
Caltha. *Calendula.*
5. *Corona ex petalis planis composita.*
Xeranthemum.
Carlina.

CLASSIS XV.

Herbæ apetalæ.

1. *Calycis parte posteriore abeunte in fructum.*
Asarum.
Hypocistis. *Asarum.*
Beta.
2. *Pistillo abeunte in semen, calyce obvolutum.*
Acetosa. *Rumex.*
Lapathum. *Rumex.*
Atriplex.
Chenopodium.
Blitum. *Amaranthus.*
Herniaria.
Paronychia. *Herniaria.*
Alchimilla. *Alchemilla.*
Parietaria.
Camphorata. *Polycnemum.*
Persicaria.
Polygonum.
Fagopyrum. *Helxine.*
Bistorta.
Salicornia.
3. *Cereales, seu Culmiferæ.*
Triticum.
Secale.
Hordeum.
Oryza.
Avena.
Milium. *Panicum.*
Panicum.
Gramen. *Triticum,* &c.
Arundo.
4. *Floribus in capitulum squamosum collectis.*
Cyperus.
Scirpus.
Linagrostis. *Eriophorum.*
5. *Flore, in eadem planta, a fructu sejuncto.*
Cyperoïdes. *Carex.*
Typha.
Acorus.
Sparganium.
Mays. *Zea.*
Lachryma Job. *Coix.*

Ricinus.

Ricinus.
Cynocrambe. *Theligonum.*
Lenticula. *Lemna.*
6. *Flore in una, fructu in alia planta plerumque.*
Equisetum.
Spinacia.
Mercurialis.
Ceratoïdes. *Urtica.*
Urtica.
Cannabis.
Cannabina. *Cannabis.*
Lupulus. *Humulus.*

CLASSIS XVI.

Herbæ ananthæ, spermatophoræ.

1. *Fructu foliis innato.*
Filix. *Pteris*, &c.
Lonchitis. *Polypodium.*
Trichomanes. *Asplenium.*
Polypodium.
Ruta muraria. *Asplenium.*
Filicula. *Polypodium.*
Adiantum.
Asplenium.
Lingua Cervina. *Asplenium.*
Hemionitis. *Asplenium.*
2. *Fructu foliis non innato.*
Osmunda.
Ophioglossum.
Lichen.

CLASSIS XVII.

Herbæ quarum flores & fructus vulgo desiderantur.

1. *Terrestres.*
Muscus.
Fungus.
Fungoïdes.
Boletus. *Phallus.*
Agaricus.
Lyocperdon.
Coralloïdes. *Clavaria.*
Tubera. *Lycoperdon.*
2. *Marinæ, aut fluviatiles.*
Fucus.
Alga.
Acetabulum. *Sertularia.*
Corallina. *Sertularia.*
Corallum.
Madrepora.
Lithophyton. *Lithoxylum.*
Tubularia. *Tubipora.*
Spongia.
Eschara. *Millepora.*
Alcyonium.

CLASSIS XVIII.

Arbores apetalæ.

1. *Flore cum fructu conjuncto.*
Fraxinus.
Siliqua. *Ceratonia.*
Ficus.
2. *Flore, in eadem planta, a fructu separato.*
Buxus.
Empetrum.
3. *Flore in una, fructu plerumque in alia planta.*
Terebinthus. *Pistacia.*
Lentiscus.

Lentiscus. *Pistacia.*
Rhamnoïdes. *Hippophae.*
Ephedra.
Casia. *Osyris.*
Gale. *Myrica.*

CLASSIS XIX.

Arbores amentaceæ.

1. *Flore, in eadem planta, separato a fructu osseo.*
Nux.
Corylus.
Carpinus.
2. *Flore, in eadem planta, plerumque separato a fructu, cujus involucrum coriaceum est.*
Quercus.
Ilex. *Quercus.*
Suber. *Quercus.*
Fagus.
Castanea. *Fragus.*
3. *Flore, in eadem planta, separato a fructu squamoso.*
Abies.
Pinus.
Larix. *Abies.*
Thuya.
Cupressus.
Alnus.
Betula.
4. *Flore separato a fructu molli.*
Cedrus. *Juniperus.*
Juniperus.
Sabina. *Juniperus.*
Taxus.
Morus.
5. *Flore, in eadem planta, separato a fructu sicco.*
Platanus.
6. *Flore in una planta, fructu in alia.*
Salix.
Populus.

CLASSIS XX.

Arbores monopetalæ.

1. *Pistillo abeunte in fructum mollem seminibus callosis fœtum.*
Rhamnus.
Thymelæa. *Daphne.*
Alaternus. *Rhamnus.*
Phillyrea.
Cassine.
Ligustrum.
Laurus.
Jasminum.
Coffea.
Acajou. *Anacardium.*
Genipa.
Arbutus.
2. *Pistillo abeunte in fructum seminibus osseis fœtum.*
Styrax.
Olea.
Ahouai. *Thevetia.*
Uva Ursi. *Arbutus.*
Aquifolium. *Ilex.*
Guajacana. *Diospyrus.*
3. *Pistillo abeunte in fructum membranaceum.*
Ulmus.

4. *Pistillo*

4. *Pistillo abeunte in fructum multicapsularem.*
Lilac. *Syringa.*
Alaternoïdes. *Celastrus.*
Erica.
Vitex.
Chamærhododendros. *Azalea.*
5. *Pistillo abeunte in fructum siliquosum.*
Nerion. *Nerium.*
Plumeria.
Acacia. *Mimosa*, &c.
Mimosa.
6. *Calyce abeunte in fructum, seu baccam.*
Sambucus.
Opulus. *Viburnum.*
Viburnum.
Tinus. *Viburnum.*
Vitis Idæa. *Vaccinium.*
Oxycoccus. *Vaccinium.*
Caprifolium. *Lonicera.*
Periclymenum. *Lonicera.*
Chamæcerasus. *Lonicera.*
Xylosteon. *Lonicera.*
Symphoricarpos. *Lonicera.*
Diervilla.
Elæagnus.
7. *Flore in una, in alia planta fructu.*
Viscum.

CLASSIS XXI.

Arbores rosaceæ.

1. *Pistillo abeunte in fructum unicapsularem.*
Cotinus.
Toxicodendron. *Rhus.*
Rhus.
Molle. *Schinus.*
Tilia.
Tamariscus. *Tamarix.*
Hippocastanum. *Esculus.*
2. *Pistillo abeunte in baccam singularem vel multiplicem.*
Celtis.
Frangula. *Rhamnus.*
Hedera.
Vitis.
Berberis.
Rubus.
3. *Pistillo abeunte in fructum multicapsularem.*
Acer.
Liquidambar.
Pavia.
Staphylodendron. *Staphylæa.*
Paliurus. *Rhamnus.*
Thea.
Azedarach. *Melia.*
Euonymus.
Syringa. *Philadelphus.*
4. *Pistillo abeunte in fructum, e siliculis aut seminibus in capitulum congestis, compositum.*
Spiræa.
Tulipifera. *Liriodendrum.*
Magnolia.
5. *Pistillo abeunte in fructum siliquosum.*
Senna. *Cassia.*
Poinciana.
Cassia.
Tamarindus.

6. *Pistillo abeunte in fructum carnosum, seminibus callosis fœtum.*
Aurantium. *Citrus.*
Citreum. *Citrus.*
Limon. *Citrus.*
Papaya. *Carica.*
Cacao. *Theobroma.*
7. *Pistillo abeunte in fructum officulo fœtum.*
Prunus.
Armeniaca. *Prunus.*
Persica. *Amygdalus.*
Cerasus.
Amygdalus.
Sapindus.
Ziziphus. *Rhamnus.*
Oenoplia?
Myxa. *Cordia.*
Laurocerasus. *Padus.*
Palma. *Phœnix.*
8. *Calyce abeunte in fructum, ex semine singulari fœtum.*
Caryophyllus aromaticus.
9. *Calyce abeunte in fructum, seminibus callosis fœtum.*
Pyrus.
Cydonia. *Pyrus.*
Cratægus.
Sorbus.
Malus. *Pyrus.*
Punica.
Guajava. *Psidium.*
Rosa.
Grossularia. *Ribes.*
Myrtus.
10. *Calyce abeunte in fructum, officulis fœtum.*
Cornus.
Mespilus.

CLASSIS XXII.

Arbores papilionaceæ.

1. *Foliis singularibus, alterno aut verticillato ordine dispositis.*
Genista.
Crotallaria.
Spartium.
Genista-Spartium. *Genista.*
Alhagi. *Hedysarum.*
Erinacea.
Genistella. *Genista.*
Siliquastrum. *Cercis.*
2. *Foliis ternis singulo pediculo innascentibus.*
Anagyris.
Corallodendron. *Erythrina.*
Cytisus.
Cytiso-Genista. *Spartium.*
3. *Foliis per conjugationes costæ plerumque innascentibus.*
Pseudoacacia. *Robinia.*
Colutea.
Emerus. *Coronilla.*
Coronilla.
Barba Jovis. *Anthyllis.*

CLARISSIMI

LINNÆI

Fundamenta Botanica.

INTRODUCTIO.

1. OMnia quæ in tellure occurrunt, *Elementorum* & *Naturalium* nomine veniunt.
2. *Naturalia* dividuntur in regna Naturæ tria; *Lapideum, Vegetabile, Animale.*
3. *Lapides* crefcunt; Vegetabilia crefcunt & vivunt (133.); Animalia crefcunt, vivunt, & fentiunt.
4. Botanice eft fcientia naturalis, quæ Vegetabilium cognitionem tradit.

I. BIBLIOTHECA.

5. *Bibliotheca* Botanica continet libros de Vegetabilibus fcriptos.
6. *Phytologi* vocantur Auctores opere aliquo de Vegetabilibus clari, five *Botanici,* five *Botanophili* fint.
7. *Botanici* (veri), ex fundamento genuino Botanicam intelligunt, & Vegetabilia omnia nomine intelligibili nominare fciant; funt hi vel *Collectores* (8.), vel *Methodici* (18.).
8. *Collectores* de numero fpecierum Vegetabilium primario foliciti fuere; funt hi *Patres* (9.), *Commentatores* (10.), *Ichniographi* (11.), *Defcriptores* (12.), *Monographi* (13.), *Curiofi* (14.), *Adonides* (15.), *Floriftæ* (16.), *Peregrinatores* (17.).
9. *Patres* Botanices prima rudimenta depofuerunt.
10. *Commentatores* Patrum fcripta dilucidarunt.

L 2 11. *Ichniographi*

11. *Ichniographi* figuras Vegetabilium iconibus expresserunt.
12. *Descriptores* adumbrationes (325.) vegetabilium exhibuerunt.
13. *Monographi* vegetabile unicum, opere singulari, prosecuti sunt.
14. *Curiosi* Vegetabilia *rariora* proposuerunt.
15. *Adonides* Vegetabilia *sativa* cujusdam Horti sistunt.
16. *Floristæ* enumerant vegetabilia *spontanea* certi alicujus loci.
17. *Peregrinatores* dissitas regiones, plantarum investigandi causa, adierunt.
18. *Methodici* (7.) de dispositione (vi.) & inde facta denominatione (vii.) Vegetabilium imprimis laborarunt; suntque *Philosophi*, *Systematici* (24.), *Nomenclatores* (38.).
19. *Philosophi* scientiam Botanicam demonstrative, ex principiis rationalibus, in formam scientiæ reduxerunt; ut *Oratores*, *Eristici* (21.), *Physiologi* (22.), *Institutores* (23.).
20. *Oratores* quæcunque scientiam docte ornant, proposuerunt.
21. *Eristici* in Botanicis scriptis publicis litigarunt.
22. *Physiologi* Vegetationis leges & sexus (v.) mysterium in plantis revelarunt.
23. *Institutores* Regulas & Canones composuerunt.
24. *Systematici* (18.) plantas in certas phalanges disposuerunt; qui vel *Orthodoxi* vel *Heterodoxi* sunt.
25. *Heterodoxi* systematici ab alio quam fructificationis principio (164.), vegetabilia distribuerunt; ut *Alphabetarii*, *Rhizotomi*, *Phyllophili*, *Physiognomi*, *Chronici*, *Topophili*, *Empirici*, *Seplasiarii*.
26. *Orthodoxi* systematici e fructificationis vero fundamento (164.) methodum desumpserunt; suntque *Universales*, vel *Partiales* (32.).
27. *Universales* Orthodoxi Systematici genuina methodo omnes Vegetabilium classes condiderunt; ut *Fructistæ*, *Corollistæ*, *Calycistæ*, *Sexualistæ*,
28. *Fructistæ* a pericarpio semine, aut receptaculo (86.) Classes Vegetabilium composuerunt; ut *Cæsalpinus*, *Morisonus*,

Morisonus, Raius, Knautius, Hermannus, Boerhaavius.

29. *Corollistæ* a Corolla (86.) petalosa classes distinguerunt; uti *Rivinus, Tournefortius.*

30. *Calycistæ* a Calyce (86.) Classes distribuerunt; ut *Magnolius, Nos.*

31. *Sexualistæ* a sexu (149.) systema condiderunt; ut *Ego* (68.)

32. *Partiales* Orthodoxi Systematici (26.) unius tantum Classis Systema composuere; ex. gr. *Compositorum, Umbellatorum, Graminum, Muscorum, Fungorum.*

33. *Compositorum* (117.) Classes exposuerunt *Vaillantius,* & *Pontedera* (70.).

34. *Umbellatorum* (118.) Classem instruxerunt *Morisonus* & *Artedius* (71.).

35. *Graminum* Classes composuere *Raius, Montius, Scheuchzerus, Michelius, Nos* (72.).

36. *Muscorum* Classem elaboravit *Dillenius* (73. 74.).

37. *Fungorum* Classem instruxerunt *Dillenius, Michelius,* (75.).

38. *Nomenclatores* (18.) de Vegetabilium denominatione soliciti fuere; ut *Synonymistæ, Critici, Etymologi, Lexicographi.*

39. *Synonymistæ* diversa nomina Vegetabilium a Botanicis quondam imposita, collegerunt; ut *Bauhinus, Hallerus.*

40. *Critici* Nomina generibus & speciebus vere propria determinarunt: (*Linnæi* Critica Botanica).

41. *Etymologi* radices & originem nominum genericorum eruunt, (*Falugii* Prosopopœia).

42. *Lexicographi* nomina diversarum linguarum colligunt, (ut *Mentzelius*).

43. *Botanophili* (6.) sunt, qui varia de Vegetabilibus tradiderunt, licet ea non proprie ad scientiam Botanicam spectant; ut *Anatomici, Hortulani, Medici, Miscellanei* (52.).

44. *Anatomici* internam structuram Vegetabilium contemplati sunt.

45. *Hortulani* culturam Vegetabilium tradiderunt.

46. *Medici* vires & usum Vegetabilium in corpus humanum

num fectati sunt; ut *Astrologi, Signatores, Chemici, Observatores, Mechanici, Diætetici, Botano-Systematici.*

47. *Astrologi* virtutum ex astris in fluxum in Plantas, *Signatores* vires a similitudine inter Plantæ partem & corporis partem læsam divinarunt.

48. *Chemici* vires vegetabilium ope Analyseos ignis extricare crediderunt.

49. *Observatores* a casu & experientia, *Mechanici* a principiis physiologico-mechanicis, vires Vegetabilium derivarunt.

50. *Diætetici* a sapore & odore vires ingerendorum dijudicarunt.

51. *Botanico-Systematici*, secundum Classes naturales, vires Medicamentorum caute distinguunt.

52. *Miscellanei* qui varia de Vegetabilibus scripsere in usum aliorum; ut *Oeconomi, Biologi, Theologi, Poetæ.*

II. SYSTEMATA.

53. *Systematicis* Orthodoxis (26.) nitor & certitudo scientiæ Botanices debetur.

54. *Cæsalpinus* est Fructista (28.), & primus verus Systematicus, secundum Corculi (86. 6.), & Receptaculi (86. 7.), situm distribuens.

55. *Morisonus* est Fructista, cum Physiognomis (25.) & Corollistis (29.) conspirans.

56. *Hermannus* est Fructista, secundum fructum Gymnospermum & Angiospermum (200.) numerans.

57. *Knautius* (Christoph.) Raianum Systema (59.) inversum adoptavit.

58. *Boerhaavius* Systema Hermannianum, cum Raiano & Tournefortiano (64.) conciliavit.

59. *Raius* e Fructista, Corollista evasit.

60. *Camellus* secundum valvulas Pericarpii plantas disponere tentavit.

61. *Rivinus* est Corollista (29.), secundum regularitatem & numerum petalorum, cum triplici fructu, *Ruppius* Systema Rivinianum in compositis emendavit.

62. *Knautius*

62. *Krautius* (Christian.) Rivinianum Systema inversum, numerum scilicet regularitati præferendo, suum fecit.
63. *Ludwigius* Methodum Rivini, cum Linnæana (68.), combinavit.
64. *Tournefortius* est Corollista (29.), secundum regularitatem & figuram, cum duplici situ Receptaculi (85). floris.
65. *Pontedera* Tournefortianum cum Riviniano combinare tentavit.
66. *Magnolius* est Calycista (30.), cum Fructistis combinatus.
67. *Nos* Methodum calycinam, secundum *Calycis* species (86.) exaravimus.
68. *Ego* (31.) sexuale Systema, secundum numerum, proportionem, & situm *Staminum*, cum pistillis elaboravi.
69. *Naturalem* Methodum in Cotyledonibus, Calyce, Sexu, aliisque, *Royenus* pulchre, *Hallerus* erudite, *Wachendorffius* Græce quæsiverunt.
70. *Compositos* flores (33.) *Vaillantius*, a Calyce, Receptaculo, & seminum coronula (86. 1. 7. 6.) distinguit: *Pontedera* de Compositis *Vaillantio* theoretice accedit in ordinibus.
71. *Umbellatos Morisonus* (34.), secundum figuram seminum disposuit: *Artedius* (34.) autem secundum Involucra (77. 1.) trifariam primus distribuit.
72. *Gramina Raius* (35.), secundum affinitatem, cum Cerealibus disponit; cui assentit *Monti*, & splendide elaboravit *Scheuchzerus*. *Michelius*, secundum Glumas simplices & compositas; *Nos* secundum sexum Gramina retulimus.
73. *Muscos* stupenda industria detexit & absolvit *Dillenius* (36.).
74. *Algas Dillenius* ex textura; *Michelius* secundum flores disposuit.
75. *Fungos Dillenius*, secundum pileos, *Michelius* (37.) secundum fructificationes dispescuit.
76. *Lithophyta* olim relicta Plutoni, *Marsilius* Floræ imperio subjecit; at *Peysonellus* eadem Faunæ regno restituit.

77. *Methodi*

77. *Methodi naturalis* fragmenta ſtudioſe inquirenda ſunt. (Primum & ultimum hoc in Botanicis deſideratum eſt).

III. PLANTÆ.

78. *Vegetabilia* comprehendunt familias vii. *Fungos*, *Algas*, *Muſcos*, *Filices*, *Gramina*, *Palmas*, *Plantas*.
79. Vegetabilium *Partes* primum a Tyrone diſtinguendæ ſunt iii. Radix, Herba, Fructificatio.
80. *Radix* alimentum hauriens, Herbamque cum fructificatione (iv) producens, componitur *Medulla*, *Ligno*, *Libro*, *Cortice*, conſtatque *Caudice* & *Radicula*.
81. *Herba* eſt Vegetabilis pars, orta a Radice, terminata fructificatione (86.), comprehenditque *Truncum*, *Folia*, *Fulcra*, *Hybernaculum*.
82. *Truncus* folia & fructificationem profert; ſpecies ejus ſunt vi. *Caulis*, *Culmus*, *Scapus*, *Pedunculus*, *Petiolus*, *Frons*, *Stipes*; at *Ramus* pars eſt.
(a) *Caulis* Truncus proprius herbæ, elevat folia fructificationemque; eſtque *ſimplex* vel *compoſitus*.
(b) *Culmus*, Truncus proprius *Gramini*, elevat folia fructificationemque: ſpecies ſervat Caulis quamplurimas.
(c) *Scapus*, Truncus univerſalis, elevans fructificationem, nec folia.
(d) *Pedunculus*, Truncus partialis elevans fructificationem, nec folia.
(e) *Petiolus*, Trunci ſpecies adnectens folium, nec fructificationem.
(f) *Frons*, Trunci ſpecies, ex Ramo coadunatus folio & ſæpius fructificatione, propria *Filicibus* & Palmis.
(g) *Stipes* baſis Frondis eſt. Proprius Palmis, Filicibus, Fungis *.
83. *Folium* conſideratur, ſecundum *Simplicitatem*, *Compoſitionem*, aut *Determinationem*.
(a) *Simplex* eſt cum Petiolus gerit unicum folium, &

* Ramus itaque, etſi Trunci pars, quamplurimos tamen Truncos integros, Pedunculos nempe & Petiolos ſæpe clevat.

differt

differt hoc *Circumſcriptione*, *Angulis*, *Margine*, *Superficie*, *Apice*, *Subſtantia*.

(b) *Compoſitum* reſpicit folia plura, in uno petiolo, ſecundum *Structuram* aut *Gradus*.

(c) *Determinatio* aliunde, (nec a propria ſtructura), notam acquirit; uti & *Loco*, *Situ*, *Inſertione* aut *Directione* *.

84. *Fulcra* adminicula plantæ ſunt, pro commodiore ſuſtentatione: numerantur hodie vii. *Stipula*, *Bractea*, *Spina*, *Aculeus*, *Cirrus*, *Glandula*, *Pilus*.

1. *Stipula* eſt ſquama, quæ baſi Petiolorum aut Pedunculorum enaſcentium utrinque adſtat. *Papilionaceæ*, &c.
2. *Bractea* dicitur folium florale, cum colore & figura recedit a cæteris. *Stæchas*, &c.
3. *Spina* eſt mucro plantæ, e ligno plantæ protruſus. *Prunus*, &c.
4. *Aculeus* eſt mucro plantæ, cortici tantum affixus. *Roſa*, &c.
5. *Cirrus* eſt vinculum filiforme ſpirale, quo planta alio corpori alligatur. *Vitis*, &c.
6. *Glandula* eſt papilla humorem excernens. *Armeniaca*, &c.
7. *Pilus* eſt ductus excretorius plantæ ſetaceus. *Guettardius* in his primaria detexit.

85. *Hybernaculum* eſt pars plantæ includens herbam embryonem ab externis injuriis: eſtque *Bulbus*, vel *Gemma*.

Bulbus eſt hybernaculum caudici deſcendenti, *Gemma* caudici adſcendenti inſidens.

IV. FRUCTIFICATIO.

86. *Fructificatio*, eſt Vegetabilium pars temporaria, Generationi dicata, antiquum terminans, novum incipiens; hujus partes vii. numerantur.

1. *Calyx*, Cortex plantæ in fructificatione præſens. Cu-

* Species foliorum ſimplicium 87. compoſitorum 24. & determinatorum 36. ſumma ſpecierum 147. *Vid.* Phil. Bot. *p*. 42.—49.

jus species, *Perianthium*, *Involucrum*, *Amentum*, *Spatha*, *Gluma*, *Calyptra*, *Volva*.

2. *Corolla*, Liber plantæ in flore præsens. Cujus species, *Petalum*, *Nectarium*: Partes, *Tubus*, *Limbus*, *Unguis*, *Lamina*.

3. *Stamen*, Viscus pro pollinis præparatione. Partes, *Filamentum*, *Anthera*, *Pollen*.

4. *Pistillum*, Viscus fructui adhærens, pro pollinis receptione. Partes, *Germen*, *Stylus*, *Stigma*.

5. *Pericarpium*, Viscus gravidum seminibus, quæ matura dimittit. Species, *Capsula*, *Siliqua*, *Legumen*, *Conceptaculum*, *Drupa*, *Pomum*, *Bacca*, *Strobilus*.

6. *Semen*, Pars vegetabilis decidua, novi rudimentum, pollinis irrigatione vivificatum. Species, *Semen*, *Nux*, *Propago*.

7. *Receptaculum*, Basis qua partes fructificationis vi. connectuntur. Species, *Receptaculum proprium*, idque *Fructificationis*, *Floris*, *Fructus*, *Seminum*; *Receptaculum commune*, *Umbella*, *Cyma*, *Spadix*.

87. Partes *Floris*, Calyx, Corolla, Stamen, Pistillum; *Fructus*, Pericarpium, Semen, Receptaculum; *Fructificationis* itaque Flos, Fructus.

88. Essentia *Floris* in Anthera & Stigmate consistit; *Fructus* in semine; *Fructificationis* in Flore & Fructu; *Vegetabilium* in fructificatione.

89. *Perianthium* (86.) a *Bractea* (84.) differt, quod illud maturo fructu, si non prius, marcescat; Foliola floralia non item.

90. *Corolla* a *Perianthio* distinguitur, quod illa cum staminibus situ alternat; Perianthium autem opponitur.

91. Petalorum *numerus*, a basi Corollæ; Laciniarum autem a medio limbi aut laminæ desumendus est.

92. *Structuram* triplicem fructificationis, in omnibus ejusdem partibus, ubique observat Botanicus, *Naturalissimam*, *Differentem*, & *Singularem*; & has secundum quatuor *dimensiones* numerum, figuram, proportionem, & situm attento oculo describat.

93. Naturalissima *Structura* fructificationis a pluralitate existentium desumitur, in *Numero*, *Figura*, *Proportione*, *Situ*.

94. *Numerus*

94. *Numerus* naturalissimus est, quod Calyx in tot segmenta, quot *Corolla* dividitur, quibus filamenta respondent, singulo singulis *Antheris* instructo. *Pistilli* autem divisio, cum *Pericarpii* loculis, aut *Seminum* receptaculis convenire solet.

95. *Figura* naturalissima est, quod *Calyx* minus patens contineat *Corollam* sensim dilatatam, *Staminibus* & *Pistillis* erectis, sensim attenuatis instructam; hisce, excepto *Calyce*, decidentibus, *Pericarpium* intumescit & extenditur, seminibus refertum.

96. *Proportio* naturalissima, profert *Calycem Corolla* minorem, cum *Staminibus* & *Pistillis* longitudine æqualibus, si flos erectus est. *Nutans* flos gerit *Pistillum Staminibus* longius. *Decumbens Stamina Pistillaque* ad latus inferius declinata. *Ascendens* vero *Stamina Pistillaque* sub latere superiore recondita.

97. *Situs* naturalissimus est, quod *Perianthium* involvat *Receptaculum*, cui *Corolla* alternatim adnascitur; huic autem interius respondent *Filamenta*, quorum apicibus *Antheræ* incumbunt. Centrum receptaculi occupat *Germen*, cujus apici *Stylus* insidet, summo *Stigma* gerens. Hisce decidentibus, germen in *Pericarpium* excrescit, calyce sustentatum, includens *Semina* adnexa fructus receptaculo. Receptaculum floris frequentius subnascitur, rarius circumnascitur, vel supernascitur.

98. *Differens* (92.) structura fructificationis ab iis partibus quæ in diversis sæpe differunt plantis, desumitur.

99. *Calyx* differt quoad (a) numerum, Compositionem, Partes, Lacinias; (b) Figuram, Æqualitatem, Marginem; (c) Proportionem; (d) Locum, Durationem.

100. *Corolla* differens est, quoad (a) Petala, Lacinias, Nectaria; (b) Figuram, Æqualitatem, Marginem; (c) Proportionem; (d) Locum, Durationem.

101. *Staminum Filamenta* differunt quoad (a) Numerum, (b) Figuram, (c) Proportionem, (d) Situm. *Antheræ* autem quoad (a) Numerum, Loculamenta,

ta, Defectum, (b) Figuram, Dehiscentiam, (c) Connexionem, (d) Situm.

102. *Pistilla* differunt quod (a) Numerum, Lacinias, (b) Figuram, (c) Longitudinem, Craſſitiem, (d) Situm, trium scilicet partium.

103. *Pericarpium* differt quoad (a) Numerum, Loculamenta, Valvulas, Dissepimenta; (b) Species, Figuram, Dehiscentiam; (c) Inclusionem, (d) Situm.

104. *Semina* differre observantur quoad (a) Numerum, Loculamenta; (b) Figuram, Substantiam, Coronulam, Arillum; (c) Magnitudinem, (d) Corculum, (e) Situm, (f) Receptaculum.

105. *Singularis* fructificatio (92.), ab ea structura quæ in paucissimis generibus observatur, desumitur.

106. *Calyx* Corolla minus coloratus esse solet.

107. *Receptaculum* floris *Perianthium* interne cingit in Icosandriis aliisque, adnascitur undique in Cucurbitaceis, Phil. Bot. *p.* 32.

108. *Filamenta* staminum a Corolla Polypetala distincta, Corollæ vero Monopetalæ inserta sunt; exceptis antheris bicornibus.

109. *Antheræ* apici filamentorum communiter insident; exceptis *Paride, Asaro, Aristolochia, Aro.*

110. *Nectarium*, si a Petalis distinctum, communiter ludit. Ut Aconitum, Aquilegia, Helleborus, Nigella, Epimedium, Parnassia, Passiflora, Asclepias, Stapelia, &c.

111. *Pistillum* intra antheras communiter collocatur. Arum, Calla, Rumex, Singularia sunt.

112. *Stylus* apici Germinis communiter insidet, exceptis paucis.

113. *Pericarpium* naturaliter clauditur, nec repletur minoribus pericarpiis, sed sæpius succulentum transit in Baccam.

114. *Completi* flores sunt *Simplices* aut *Aggregati.*

115. *Simplex* flos, cum pluribus floribus nulla pars fructificationis communis est.

116. *Aggregatus* flos, cum flosculis pluribus, aliqua pars fructificationis communis est; diciturque Aggregatus

tus proprie, vel *Compositus*, vel *Umbellatus*, vel *Cymosus*.

117. *Compositus* flos est Aggregatus, continens flosculos plures sessiles, Receptaculo communi integro, & Perianthio contentos, sed Antheris in cylindrum connatis instructos.

118. *Umbellatus* flos est Aggregatus ex flosculis pluribus insidentibus receptaculo in pedunculos fastigiatos, omnes ex eodem puncto productos. *Cyma* vero flos est Aggregatus, ex flosculis pluribus insidentibus receptaculo in pedunculos fastigiatos, primores ex eodem puncto productos, posteriores autem sparsos. Ut *Opulus*, *Cornus* Virga Sanguinea dicta, *Tinus*, *Viburnum*.

119. *Luxurians* flos Tegmenta (*i. e.* Perianthia & Corolla) fructificationis ita multiplicat, ut essentiales ejusdem partes destruantur; estque vel *Multiplicatus*, vel *Plenus*, vel *Prolifer*. *Mutilus* autem dicitur is flos qui Corollam excludit.

120. *Multiplicatus* flos de *Corolla* multiplicata, salvis quibusdam staminibus, communiter prædicatur, estque duplicatus vel triplicatus. *Perianthium* & *Involucrum* raro; *Stamina* vix unquam multiplicatum constituunt florem.

121. *Plenus* flos, cum Corolla adeo multiplicatur, ut stamina omnia excludantur.

122. Multi plantarum ordines naturales, flores luxuriantes exhibere nequeunt.

123. *Prolifer* flos fit, cum intra florem (sæpius plenum) alii flores enascuntur. Prolifer autem frondosus dicitur, cum proliferi proles foliosus fit.

124. *Prolificatio* florum *Simplicium* e Pistillo; *Aggregatorum* vero e Receptaculo fit.

125. *Impletio* florum simplicium, vel Petalis vel Nectariis peragitur.

126. Multiplicantur sæpius flores in Corolla polypetala, duplicantur autem frequentius in monopetala. Flores tamen monopetalos esse, simulque plenos, contradictorium non est.

127. *Compositi*

127. *Compositi* flores implentur vel petalis tubulatis vel planis.

128. Flores ſimplices pleni, differunt a compoſitis naturalibus, quod pleni illi Piſtillum commune in centro floris; compoſiti vero ſtamina & piſtilla propria obtineant.

129. Flores compoſiti petalis planis pleni, differunt a ſuis non plenis; quod ſtigmata in his elongentur, & germina aucta divergant.

130. Flores compoſiti pleni e petalis planis, differunt a compoſitis naturalibus, petalis planis, quod pleni illi antheris deſtituantur, quibus naturales gaudent.

131. Radius in flore compoſito naturali, ſi piſtillis inſtruitur, omnes quoque pleni flores piſtillis inſtruuntur; ſi vero deſtituitur, etiam deſtituuntur pleni.

V. SEXUS.

132. Initio rerum ex omni ſpecie viventium (3.), unicum ſexus par creatum fuiſſe contendimus.

133. Vegetabilia, ſenſatione licet deſtituantur, æque tamen ac Animalia *vivere*, probat *Ortus*, *Nutritio*, *Ætas*, *Propulſio*, *Morbus*, *Mors*, *Anatomia*, *Organiſmus*.

134. Omne vivum ex Ovo; per conſequens etiam Vegetabilia, quorum ſemina eſſe *Ova*, docet eorum finis, ſobolem parentibus conformem producens.

135. Vegetabilia ex Ovo provenire dictitat ratio, & experientia; confirmant cotyledones.

136. *Cotyledones* animalium proveniunt e vitello Ovi, cui punctum vitæ innaſcitur; ergo folia ſeminalia plantarum, quæ Corculum involverunt, iidem ſunt.

137. Prolem non ab *Ovo* tantum, nec a *Genitura* ſola, ſed ab utriſque ſimul prodire, probant Animalia *Hybrida*, *Ratio*, *Anatomia*.

138. Ovum non fœcundatum germinare, negat omnis experientia; adeoque & Ova Vegetabilium.

139. Omnis ſpecies vegetabilium flore & fructu inſtruitur; etiam ubi viſus eoſdem non aſſequitur.

140. Flos omnis inſtruitur antheris & ſtigmatibus.

141. Flos

141. Flos antecedit omnem fructum, ut generatio partum.

142. Fructificatio constat plantarum *Genitalibus*; sic *Florescentia* est *Generatio*, *Fructus* maturatio vero *Partus*.

143. *Antheras* esse plantarum *Genitalia masculina*, & eorum *Pollen* veram *Genituram* docet Essentia (88.), Præcedentia (141.), Situs, Tempus, Loculamenta, Castratio, Pollinis structura.

144. *Stigmata*, Germini ubique annexa esse *Genitalia fœminina* probat Essentia, Præcedentia, Situs, Tempus, Casus, Abscissio.

145. *Generationem* Vegetabilium fieri, mediante Pollinis antherarum illapsum supra stigmata nuda, quo rumpitur Pollen, efflatque *Auram seminalem*, quæ absorbetur ab humore stigmatis, confirmat Oculus, Proportio, Locus, Tempus, Pluviæ, Palmicolæ, Flores nutantes, Submersi, Syngenesia, imo omnium florum genuina consideratio.

146. Calyx ergo est *Thalamus*, Corolla *Auleum*, Filamenta *Vasa Spermatica*, Antheræ *Testes*, Pollen *Genitura*, Stigma *Vulva*, Stylus *Vagina*, Germen *Ovarium*, Pericarpium *Ovarium fœcundatum*, Semen *Ovum*.

147. Plantarum *Ventriculus* est terra, *Vasa chylifera* Radix, *Ossa* Truncus, *Pulmones* Folia, *Cor* Calor; hinc planta *Animal inversum* veteribus dicta fuit.

148. Flos qui Antheras *Masculus*, qui stigmata *fœmineus*, qui utraque continet *Hermaphroditus* dicitur.

149. Planta quæ floribus tantum masculis, *Mas*, quæ floribus tantum fœmineis, *Fœmina*, quæ floribus tantum hermaphroditis, *Hermaphrodita*, quæ masculis & fœmineis simul *Androgyna*, quæque hermaphroditis & fœmineis aut masculis simul (instruitur *Hybrida*, Fund. Bot. edit. 4.) *Polygama* dicitur; hæc tamen plerumque Hermaphrodito, aut Hermaphrodita constat.

150. *Luxuriantes* flores (119.) nulli naturales, sed omnes *Monstra* sunt. *Pleni* enim *Eunuchi* evaserunt, adeoque semper abortiunt; *Multiplicati* non æque; *Proliferi* monstrosorum augent deformationem.

VI. CHA-

VI. CHARACTERES.

151. Fundamentum Botanices duplex eſt, *Diſpoſitio* & *Denominatio.*

152. Diſpoſitio Vegetabilium diviſiones vel conjunctiones docet; eſtque vel *Theoretica*, quæ Claſſes, Ordines, Genera; vel *Practica*, quæ Species & Varietates inſtituit.

153. Diſpoſitio Vegetabilium vel *Synoptice* vel *Syſtematice* abſolvitur, & vulgo *Methodus* audit.

154. *Synopſis* tradit Diviſiones arbitrarias, longiores aut breviores, plures aut pauciores, a Botanicis in genere non agnoſcenda.

155. *Syſtema* Claſſes per v. appropriata membra reſolvit; Claſſes, Ordines, Genera, Species, Varietates.

156. Filum ariadneum Botanices eſt ſyſtema, ſine quo Chaos eſt Res herbaria.

157. *Species* tot numeramus, quot diverſæ formæ in principio ſunt creatæ.

158 *Varietates* tot ſunt, quot differentes plantæ ex ejuſdem ſpeciei ſemine ſunt productæ.

159. *Genera* tot dicimus, quot ſimiles conſtructæ fructificationes proferunt diverſæ ſpecies naturales.

160. *Claſſis* eſt generum plurium convenientia in partibus fructificationis, ſecundum principia naturæ & artis.

161. *Ordo* eſt Claſſium ſubdiviſio, ne plura genera diſtinguenda ſimul & ſemel evadant, quam animus facile aſſequatur.

162. Naturæ opus ſemper eſt *Species* & *Genus*; Culturæ ſæpius *Varietas*; Naturæ & Artis *Claſſis*, & *Ordo*.

163. *Habitus* eſt conformitas quædam Vegetabilium affinium & congenerum, in *Placentatione*, *Radicatione*, *Ramificatione*, *Intorſione*, *Gemmatione*, *Foliatione*, *Stipulatione*, *Pubeſcentia*, *Glandulatione*, *Lacteſcentia*, *Infloreſcentia*, aliiſque.

164. Diſpoſitio Vegetabilium primaria, a ſola fructificatione deſumenda eſt.

165. Quæcunque vegetabilia in fructificationis partibus conveniunt,

conveniunt, non ſunt, cæteris paribus, in diſpoſitione theoretica diſtinguenda.

166. Quæcunque Vegetabilia in fructificationis partibus differunt, obſervatis obſervandis (162.) non ſunt combinanda.

167. *Nota characteriſtica* (189.) omnis erui debet a Numero, Figura, Proportione, & Situ omnium partium fructificationis differentium.

168. Habitus (163.) occulte conſulendus eſt, ne genus erroneum levi de cauſa fingatur.

169. Quæ in uno genere, ad genus ſtabiliendum valent, minime idem in altero neceſſario præſtant.

170. Raro obſervatur genus, in quo pars aliqua fructificationis non aberrat.

171. In pleriſque generibus nota aliqua fructificationis ſingularis obſervatur.

172. Si nota aliqua fructificationis ſingularis, vel ſui generis propria, in ſpeciebus non omnibus adſit, ne plura genera accumulentur cavendum.

173. Si nota generi ſingularis, etiam in genere affini reperiatur, ne idem genus in plura quam natura dictitat, ſeparetur cavendum.

174. Quo conſtantior pars aliqua fructificationis, eſt in pluribus ſpeciebus, eo etiam certiorem exhibet notam genericam.

175. In aliis generibus hæc, in aliis alia pars fructificationis conſtantior obſervatur, nulla vero conſtantiſſima eſt.

176. Si flores conveniunt, fructus autem differunt, cæteris paribus, conjungenda ſunt genera.

177. *Figura* floris certior eſt quam fructus; *Proportio* partium autem maxime diverſa, ſed conſtantiſſima.

178. *Numerus* facilius aberrat quam *Figura*, proportione numeri tamen optime explicatur; *Flores* autem numero in eadem planta diverſi, ſecundum primarium conſiderandi.

179. *Situs* partium conſtantiſſimus eſt. Receptaculi *Situm* in ordinibus magni fecit *Tournefortius*.

180. Petalorum *regularitatem* nimium fecit *Rivinus*.

181. *Nectarium* maximi fecit natura.

182. *Stamina* & *Calyx*, luxuriationibus minus obnoxia, petalis longe certiora sunt.

183. *Pericarpii structura*, ab antecessoribus Botanicis trita, innumeris exemplis docuit se minus valere, quam ii crediderunt.

184. *Luxuriantes* flores (119.), Eunuchi (150.), & mutilati, ut monstra calculos in generum constitutione non ferunt.

185. Multiplicati & pleni (120. 121.) flores, a Perianthio & infima serie petalorum, uti Proliferi (122.) a Prole judicantur.

186. *Character* est definitio Generis; isque triplex datur, *Factitius*, *Essentialis*, & *Naturalis*.

187. *Essentialis* character, notam generi cui applicatur, propriissimam (171.) & singularem (105.) subministrat.

188. *Factitius* character, genus ab aliis generibus, ejusdem tantum ordinis artificialis, distinguit.

189. *Naturalis* character notas omnes genericas possibiles allegat: adeoque Essentialem & Factitium includit.

190. Character *Factitius* succedaneus est; *Essentialis* optimus, sed vix ubique possibilis; *Naturalis* difficillime elaboratur; elaboratus autem Basis (156.) est omnium systematum, generum infallibilis custos, omnique systemati possibili & vero applicabilis.

191. *Naturalis* character ab omni Botanico teneatur oportet.

192. Character naturalis, fructificationis notas omnes differentes (98.) & singulares (105.), per singulas suas species convenientes (165.) recensebit, dissentientes vero sileat.

193. Nullus character infallibilis est, antequam secundum omnes suas species directus est.

194. *Inflorescentia* (situs fructificationis, edit. 4.) notam characteristicam non dabit.

195. Character nomen genericum in frontispicio gerat.

196. Unaquæque species fructificationis (86.), in charactere naturali novam ordiatur lineam.

197. Nomen partis fructificantis, lineam differentibus literis inchoabit.

198. Similitudinis notam, nisi dextra manu notiorem, character nullus assumat.

199. Notas convenientes (192.) terminis compendiose describat character.

200. *Termini* puri (81.—85.) eligendi, obscuri & erronei non admittendi sunt.

201. Termini necessariis plures excludendi, pauciores augendi sunt.

202. Character in omnibus, licet diversissimis systematibus immutabilis servetur.

203. Genus unica specie constare potest, licet plurimis sæpius componatur.

204. Quod valet de charactere generico, valet etiam de classico (160.), licet in hoc latius sumantur omnia.

205. Classis genere magis arbitraria (162.) est, utrisque magis ordo.

206. Classes quo magis naturales, eo, cæteris paribus, præstantiores sunt.

207. Classes & ordines nimis longæ vel plures, difficillimæ sunt.

208. Ordo genera inter se magis affinia, proxime collocabit.

209. Habitui plantarum (163.) adeo adhærere, ut rite assumpta fructificationis principia deponantur, est stultitiam sapientiæ loco quærere.

Botanica innititur fixis generibus, cujus progressus traditur in Phil. Bot. *p.* 139. ad 157.

VII. NOMINA.

210. *Denominatio*, alterum Botanices fundamentum (151.), facta dispositione (152.), nomina primum imponat.

211. Nomina vera plantis imponere, Botanicis genuinis (26.) tantum in potestate est.

212. Nomina omnia sunt in ipsa Vegetabilis enunciatione, vel *muta*, ut classis & ordinis; vel *Sonora*, ut genericum, specificum, & varians (157.—161.)

213. Quæcunque plantæ genere conveniunt, eodem nomine generico designandæ sunt.

214. Quæcunque e contrario plantæ genere differunt, diverso nomine generico designandæ sunt.

215. Nomen genericum in eodem genere *unicum* erit.

216. Nomen genericum in eodem genere *idem* erit.

217. Nomen genericum unum idemque, ad diversa designanda genera assumptum, altero loco excludendum erit.

218. Qui novum genus constituit, eidem nomen etiam imponere tenetur.

219. Nomen genericum immutabile figatur, antequam specificum ullum componatur.

220. Nomina generica primitiva, nemo sanus introducat.

221. Nomina generica ex duobus vocabulis integris ac distinctis facta, e Republica Botanica releganda sunt.

222. Nomina generica ex duobus vocabulis Latinis integris & conjunctis composita, vix toleranda.

223. Nomina generica ex vocabulo Græco & Latino similibusque hybrida, non agnoscenda sunt; *ut Sapindus*, *Cardamindum* Græco-Latina, *Tamarindus*, *Morinda*, Barbaro-Latina.

224. Nomina generica ab uno vocabulo plantarum generico fracto, altero integro composita, Botanicis indigna sunt. *Cannacorus*, *Laurocerasus*, *Linagrostis*, &c. *Admittenda Græca Elæagnus*, *Cissampelos*.

225. Nomen genericum, cui syllaba una vel altera præponitur, ut aliud plane genus quam antea significet, excludendum est. Ut *Bulbocastanum*, *Chamædrys*, *Cynocrambe*, &c.

226. Nomina generica in *oïdes* desinentia, e foro Botanico releganda sunt.

227. Nomina generica ex aliis nominibus genericis, cum syllaba quadam in fine addita conflata, non placent. *Limonium*, *Lapathum*, *Pyrola*, &c.

228. Nomina generica, simili sono exeuntia, ansam præbent confusioni. *Alsine*, *Alsinastrum*, *Cyperus*, *Cyperoïdes*, *Lycopus*, *Lycopsis*, &c.

229. Nomina generica, quæ ex Græca vel Latina lingua radicem

radicem non habent, rejicienda ſunt. *Galega, Datura, Doronicum,* &c.

230. Nomina generica plantarum, cum Zoologorum, & Lithologorum nomenclaturis communia, ſi a Botanicis poſtea aſſumpta, ad ipſos remittenda ſunt. *Taxus, Onagra, Acanthus,* &c.

231. Nomina generica, cum Anotomicorum, Pathologorum, Therapeuticorum, vel artificum nomenclaturis communia, omittenda ſunt. *Ptarmica, Cardiaca, Vulneraria,* &c.

232. Nomina generica contraria ſpeciei alicui ſui generis, mala ſunt. *Convolvulus erectus, Cyanus luteus, Piloſella glabra,* &c.

233. Nomina generica, cum claſſium & ordinum naturalium nomenclaturis communia, omittenda ſunt. *Filix, Palma, Lilium,* &c.

234. Nomina generica diminutiva, & e lingua Latina contorta, quamvis non præſtantiſſima, toleranda ſunt. *Alchemilla, Coronilla, Pulſatilla,* &c.

235. Nomina generica adjectiva ſubſtantivis pejora ſunt, adeoque non optima. *Arenaria, Convallaria, Clavaria,* &c.

236. Nomina generica non abutenda ſunt, ad ſanctorum, hominumve in alia arte illuſtrium favorem captandum, aut memoriam conſervandam. *Phelypæa.*

237. Nomina generica poetica, deorum ficta, regum conſecrata, & promotorum Botanices promerita, retineo.

238. Nomina generica ad Botanici optime meriti memoriam conſervandam conſtructa, ſancte ſervanda ſunt. *Hoc unicum & ſummum præmium laboris.*

239. Nomina generica, quæ citra noxam Botanices impoſita ſunt, cæteris paribus, tolerari debent.

240. Nomina generica, quæ Characterem eſſentialem vel Habitum plantæ exhibent, optima ſunt.

241. Vocabula plantarum, Veteribus uſitata, leguntur vel *Græca,* apud *Hippocratem, Theophraſtum, Dioſcoridem*; vel *Latina,* apud *Plinium, Geoponicos,* & *Poetas.*

Poetas. (*Si bona sint, retineri debent, ut etiam usitatissima & officinalia.* Fund. Bot. edit. 4.).

242. Nomen genericum antiquum, antiquo generi convenit.

243. Nomen genericum dignum (213.—242.) alio, licet aptiore, permutare non licet.

244. Nomina generica, quamdiu *Synonyma* digna, in promptu sunt, nova non effingenda.

245. Nomen genericum unius generis, nisi *supervacaneum*, in aliud transferri non debet, licet eidem aptius competeret.

246. Si genus receptum, secundum jus naturæ (162.) & artis (164.), in plura dirimi debet, tum nomen antea commune manebit vulgatissimæ & officinali plantæ.

247. Nomina generica Latinis literis pingenda sunt.

248. Terminatio & sonus nominum genericorum, quantum fieri possit, facilitanda sunt.

249. Nomina generica *sesquipedalia*, enunciatu *difficilia* vel *nauseabunda*, fugienda sunt.

250. Terminis artis (199.) loco nominum genericorum abuti, inconsultum est.

251. Nominum *classium* (160.) & *ordinum* (161.), cum genericis par est ratio (204.).

252. Nomina classium & ordinum, e *Viribus*, *Radice*, *Herba*, & *Habitu* petita, mala sunt.

253. Nomina classium & ordinum, notam *essentialem* (187.) & *characteristicam* (189.) includant.

254. Nomina classium & ordinum, a *Plantæ* cujusdam nomine desumpta, sub quo totam cohortem intellexere veteres, in genere exclusa, classibus naturalibus tantum inserenda.

255. Nomina classium & ordinum *unico* (215.) vocabulo constabunt.

VIII. DIFFERENTIÆ.

256. Perfecte nominata est planta nomine *generico* & *specifico* instructa.

257. Nomen specificum *legitimum* plantam ab omnibus *congeneribus*

congeneribus (159.) distinguat; *Triviale* autem nomen legibus etiamnum caret.

258. Nomen specificum primo intuitu plantam suam manifestabit, cum *differentiam* ipsi plantæ inscriptam contineat.

259. Nomen specificum, a partibus plantarum *non variantibus* desumi debet.

260. *Magnitudo* species non distinguit.

261. Notæ *collatitiæ*, cum aliis speciebus *diversi generis*, falsæ sunt.

262. Notæ *collatitiæ*, cum aliis speciebus *ejusdem generis*, malæ sunt.

263. *Inventoris* vel alius cujuscunque nomen, in differentia non adhibeatur.

264. *Locus natalis* species distinctas non tradit.

265. *Tempus* florendi vegetandique maxime fallax est differentia.

266. *Color* in eadem specie mire ludit, hinc in differentia nil valet.

267. *Odor* speciem nunquam clare distinguit.

268. *Sapor*, pro ratione manducantis, sæpe variabilis est, hinc in differentia excludatur.

269. *Vis* & *usus* differentiam Botanico vanam subministrat.

270. *Sexus* nullibi species diversas constituit unquam.

271. *Monstrosi* flores (150.) & plantæ, a naturalibus originem omnes trahunt.

272. *Pubescentia* (163.) ludicra est differentia, cum cultura sæpius deponatur.

273. *Duratio* sæpe magis ad locum, quam ad plantam pertinet, in differentia itaque eam adhibere non arridet.

274. *Multitudo* herbæ sæpe loco mutatur.

275. *Radix* differentiam realem sæpe subministrat, ad eam tamen, nisi omnes aliæ interclusæ sint viæ, non confugiendum est.

276. *Trunci* (82.) notæ differentias sæpe optimas edunt.

277. *Folia* elegantissimas naturalissimas differentias exhibent.

278. *Fulcra* & *Hybernacula* (84. & 85.) communiter optimas differentias relinquunt.

279. *Inflorescentia*

279. *Inflorescentia (vel situs fructificationis)* (163.) maxime realis est differentia.

280. Fructificationis partes constantissimas differentias subministrant. *Olim aliter* sentiit. *Vid.* edit. 4.

281. Notæ generice in differentia usurpatæ absurde sunt.

282. Differentia omnis e *Numero*, *Figura*, *Proportione*, & *Situ* variarum plantarum partium, necessario desumatur.

283. Ne *varietates* loco *speciei* sumatur, ubique cavendum est.

284. Nomen genericum singulis speciebus applicari debet.

285. Nomen specificum semper genericum sequi oportet.

286. Nomen specificum sine generico est quasi campana sine pistillo.

287. Nomen specificum, ipsi nomini generico adglutinatum non erit.

288. Nomen specificum genuinum est vel *Synopticum* vel *Essentiale*.

289. Nomen specificum *Synopticum*, plantis congeneribus notas semidichotomas imponit.

290. Nomen specificum *essentiale*, notam differentiæ singularem, suæve speciei tantummodo propriam exhibet.

291. Nomen specificum, quo brevius eo etiam melius, si modo tale (257.).

292. Nomen specificum nulla admittat vocabula, nisi quibus a congeneribus necessario distinguitur.

293. Nomen specificum nullum, speciei in suo genere solitariæ (203.) imponi potest.

294. Nomen specificum imponat, qui novam adinvenerit speciem, si modo necesse sit (293.) tale.

295. Nominis specifici vocabula non erunt composita, nominibus genericis similia, nec Græca, sed tantum Latina, nam quo simpliciora, eo etiam meliora.

296. Nomen specificum, non erit *tropis* rhetoricis figuratum, multo minus erroneum, sed fideliter, quæ natura dictitat, exponat.

297. Nomen specificum, nec comparativum, nec superlativum sit.

298. Nomen

298. Nomen ſpecificum terminis poſitivis, non vero negantibus, utatur.
299. Similitudo omnis in nomine ſpecifico uſurpata, dextra manu notior erit; licet & hæc minus placet.
300. Nomen ſpecificum, nullum adjectivum, ſine oppoſito ſubſtantivo, adhibeat.
301. Omne adjectivum in nomine ſpecifico, ſequi debet ſubſtantivum ſuum.
302. Adjectiva in nomine ſpecifico uſurpata, e terminis artis ſelectis (80.—86.), ſi modo ſufficientibus, petenda ſunt.
303. Particulas, adjectiva ſubſtantivaque conjungentes, nomen ſpecificum excludat.
304. Notæ diſtinctivæ partes plantarum, non vero adjectiva, in nomine ſpecifico diſtinguant.
305. Parentheſin nomen ſpecificum nunquam admittat.

IX. VARIETATES.

306. Nomini generico (vii.) & ſpecifico (viii.), etiam *varians* (158.) addi poteſt.
